

16

1.

2. 13

3. 2

4.

5. 0

6. 0

7.

8.



1696.

1. Bahr, Johannes; Fac. med. pro cancellario l. s. l.
(ad actum disputatorium Polycarpi Gottlieb Schachneri
iuridat)
2. Bobnius, Johannes: De angina.
3. Diemeldorff, Johann Gottfried: De potestate
statuum imperii protestantium circa
4. Lieder, Hermann: De obsequiis publicae datus
5. Agliar, Andreas: De conditione l. s. quis conduc-
tionis 25 l. de locato conducto.
6. Olearius, Johannes: De episcoporum primitiis
et modernae ecclesiae discrimine.
7. Olearius, Johannes Augustus: An liberi contra pater-
nes, injustos ritus eorum aggressores, cum pater-
num morte se repente liceant?
8. Rechenberg, L. Adamus: De prerogativa imperii
principis protestantis.

1696.

9. Siverij, Hesoren : De nominibus, quae ab necessitate
sunt creata falso in Decretis

1697.

1. Bohm, Johannes, Fac. med. procurator Marius. Saluberrimus
(ad actum solemnem Michaelis Curiae Immunitatis iurata)
2. Bahsius, Johannes : De medici officio.
3. Crellius, Ludovicus Christianus : De septem Laconica.
4. Diesseldorff, Johann Gottfried : De potestate statuum
imperii protestantium circa matrimonium subditorum
... etque de jure suo suspendendi et resolvendi
in Dirituum vitae consuetudinem.
5. Langius, Gottfried : De aequivoce dictis
6. Menckensius, Luederus : De statutorum non confir-
matorum effectu
7. Menckensius, Luederus : De rebus ex tantibus uxorem
a concubina creditorem separandis.

8. Menellius, Ludovicus. De proceratione agnatorum
pae cognatis in inscripta tutela curae quae
allodium est feudum

9. Mylius, Rudolphus. De inveniendo eant. instituti
actionibus.

10. Philippus, Pidericus. De agris vectigalibus.

11. Schieferdecker, Johann David. De triumphis et ora-
tionibus Romanorum.

12. Schmidius, Johann. De patinoda eruditorem.

13. Sprenden daerfferus, Barthol. Lerchardus. Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones J. R. Spretelii 2:
De auctoritate juris feudalis.

14. Sprenden daerfferus, Barthol. Lerchardus. Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones J. R. Spretelii 11:
De divisionibus feudi quoad feudum proprium.

15. Sprenden daerfferus, Barthol. Lerchardus. De putatione
nomisuris ubi:

1697.

16. Trenden Doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. Exercitatio III.
De notatione et definitione feudi.

17. Trenden Doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. exercitatio V.
De divisionibus feudi quoad feudum improprium.

18. Trenden Doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. exercitatio
De origine feudorum.

19. Wertherus, Joh. Balthas: De actionibus naturalibus
quae sunt juris naturalis objectum constitunt, materiae
atque formae.

20. Wertherus, Adamus Balthas: De sponsalibus sub
conditione contractis.

1357/8.

Neale, 17
37.

Q. D. B. V.

QVÆSTIO MORALIS:

AN LIBERIS CONTRA
PARENTES, INJUSTOS VITÆ
EORUM AGGRESSORES, CUM
PARENTUM MORTE SE
DEFENDERE LICEAT?

CONTRA

aliquos

RECENTIORES CASUUM SCRIPTORES,
*Divina annuente Gratia, & benevolo Inclytæ
Facultatis Philosophicæ Lipsiensis Consensu,*

Anno M DC XCVI. die 23. Sept.

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS AUGUSTI OLEARII,

Hal. Sax.

[Placido Philosophorum Examini
proposita

Ab

AUGUSTO *Stiffer* / Obsfeld. Sax.

S. Theol. Stud.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,
Liceris FLEISCHERIANIS.

37



V I R I S

PRÆ-NOBILISSIMIS, EXPERIENTISSIMO,
EXCELLENTISSIMIS ATQUE AM-
PLISSIMIS,

DOMINO

D. JOHANNI HENRICO MYLIO,

Jcto Celeberrimo & Scabinatꝝ Elect. Saxon.

qui Lipsiæ est, Assessori
Gravissimo, &c.

Nec non

DOMINO

D. JOHANNI SIEBOLD,

Sereniss. Saxon. Duc. & Princip. Anhalto. Dessav.

Archiatro Curatissimo, ut & Pra-

ctico Lipsiæ longe famigera-
tissimo, &c.


*Dominis ac Patronis, Amitino atque Affini, utrisque Evergetis
suis fadefessis, indefesso observantia cultu pro-
sequendis, &c.*

Hoc quaecunque ingenii monumentum
Non, nisi in perpetuæ gratitudinis tesseram atque ulterio-
rem sui commendationem offerre debuit
& consecrare

AUGUSTUS Stiffer.



PRÆFATIO.



Um officii Liberorum erga Parentes, Parentumque erga Liberos, accurata observatio, fundamentum rectè putetur omnis felicitatis civilis: (nam, cum vitium primæ concoctionis non corrigatur in secunda, ut tritissimum habet proverbium; certè neglectas in educatione Liberorum virtutes, necesse est totam Rempublicam multis deinde afficere malis;) omninò illi oleum & operam non perdere dicendi sunt, qui secundum Leges, præsertim per naturam nobis cognitam, officia, in societate hac paterna observanda, sollicitè indagare student. Nos ergò, utilitate harum considerationum incitati, impræsens tibi, L. B. sistimus casum aliquem, non nisi perspectis penitus fundamentis Obligationis Paternæ & Filialis, accurate solvendum. Et eo quidem, præ aliis, quæ circa officium Liberorum erga Parentes occurrere possunt, non inutilibus quæstionibus, delectati maximè ideo sumus, quod, cum *Præses noster in sua posteriore pro Loco in Facultate Philosophica obtinendo, habita Dissertatione, expenderit Liberorum, extra periculum vitæ constitutorum, pro vitæ tamen Parentum, mortem oppetere valentium, officium;* à nobis optimè factum iri speravimus, si sub ejusdem præsidio, obligationem Liberorum, qui *facto parentum ag-*

gressorum nefario, in periculum vite, unà cum Parentibus ipsis, fuerunt coniecti, luci publicæ proponeremus: Cui rationi illa etiam accessit, quod explicitis in citata Præsidi Dissertatione, fundamentis moralibus, ea, quæ impræfentiarum dicenda erunt, superstruenda veniant. Methodo autem hac in re naturali utemur. Formato enim per terminorum evolutionem statu, quem vocant, controversiæ, fontes breviter indigitabimus, (nam maximam partem latius illos detexit laudatô locô Præses,) ex quibus decisio thematis nostri fluit: quo factô ipsa decisio Casus suscipienda erit, & denique ad rationes Dnn. Adversariorum, quos hic inveniemus, nos accincturi sumus. In iis tamen examinandis ita nos geremus, ne immodestiæ, erga viros de Ecclesia & Republica aliàs meritissimos, nec sine laude unquam nominandos, commissæ, quisquam, cui libertas Philosophica curæ cordique est, nos reos agere queat. Difficilem tibi equidem, L. B. proponimus, ceu apparet, Casum; sed hunc, Divino nixi auxilio, solvere conabimur. Utinam feliciter!

CONSPECTUS TOTIUS DISSERTATIONIS.

§. I. Describuntur *Liberi & Parentes*, in quæstione proposita nominati; & quomodo hîc veniant utriusque attendendi, latè declaratur.

§. II. Explicantur vocabula, quibus in titulo circumscribuntur *Parentes*: scilicet quòd sint *injusti Liberosum vita aggressores*; *Rationes, cur hæc verba adjiciantur*, afferuntur, inserunturque *variæ huc spectantes materiæ*, præsertim *disquisitio de moralitate juris vita & necis, quod Parentes in Liberos ob delictum exercent.*

§. III. Explicantur reliquî terminî thematis propositi: *cum Parentum morte se defendere*; Ratioque redditur, cur ab illis circumstantiis: *num alia via declinandi mortem à parentibus intentatam, præter parentum occisionem, proli competat, nec ne?* item: *utrum primariò, an secundariò, aut tantum suam defensionem, non parentum mortem intendant liberi?* abstrahatur in quæstionis nostræ propositione; addito, præsertim *in notis, examine distinctionum inter intentionem primariam atque secundariam &c.*

§. IV.

§. IV. Explanatur significatio *re liciti*, simulque ostenditur, posse retineri *questionem de licito*, quamvis ex ejus decisione clara sit futura sententia, quod *defensio Liberos dicta non tantum licita, sed & precepta sit.*

§. V. Monstrantur, *rationibus certis adjectis, fundamenta decisionis in hac questione observanda, quæ sunt requisita moderaminis inculpatæ tutelæ, & officium Liberos erga parentes; cumque illud moderamen, doctrinæ de Collisione Philætiæ ac Socialitatis innitatur, & illam hic loci considerari debere, monetur.*

§. VI. *Collisionis Philætiæ & Socialitatis, quæ breviter describitur, fundamenta afferuntur, tum ea, ex quibus concludas, revera Collisionem adesse, tum illa, quæ docent, utrum præceptum, Collisione data, alteri cedat. Scilicet illius, quod adsit Collisio, fundamentum offertur hæcce regula: Quando alterius præcepti neglectus, est medium necessarium ac certum ad observandum præceptum alteram, tum adest collisio. Hujus autem (utrum præceptum, collisione Philætiæ ac Socialitatis præsentis, stringat,) fundamenta statuuntur regulæ: (1.) Cujus legis observationem efflagitat utilitas publica, aliàs violanda, illa sola observanda est; cui (utilitati publicæ) si per neutrius præcepti neglectum vis inferatur, aut, si æquale in publicum redundaturum sit damnum, sive hanc, sive illam legem negligas, illud tum stringit præceptum, quò non observato, damnum aliquis sibi ipsi esset conciliaturus. (2.) Ita tamen hæc regula procedit, ut ratio quoque habeatur mali, in quod & ille, cui Philætiæ videtur esse præcepta, & is, cujus ob socialitatem cura esset habenda, conjiciendus est; nec alteri gravior malum concilietur, quò alter levius effugiat malum. Rationes etiam & declarationes harum regularum afferuntur.*

§. VII. *Moderamen inculpatæ tutelæ, ex Collisionis Philætiæ & Socialitatis doctrinæ demonstratur, revocatis ad dicta Collisionis istius fundamenta, requisitis laudati moderaminis, potissimum ex B. Pufendorfi de Offic. Hom. & Civ. lib. 1. cap. 5. §. 5. -- 17. haustis; cujus tamen tradita aliquando cum aliis conferuntur emendanturque, præsertim in notis, nec allegationes auctorum de moderamine illo, præmittuntur; Omnia hæc pro latitudine materiæ aliquantò latius deducuntur.*

§. VIII. *Præcedentium de moderamine inculpatæ tutelæ dictorum, ad præsens thema fit applicatio; deciditurque, quod, si ad illud moderamen respicias, Liberos liceat contra Parentes, injustos vitæ eorum aggressores, se tueri, nisi aliud suadeat utilitas publica per mortem Parentum laudanda. Monetur etiam, cur comparationem mali, Liberos & Parentes prementis, hic minimè curare teneamur. Et Casus insuper subnectitur, ex quo mortem Parentum ad vitam Liberos servandam medium incertum esse posse, constat.*

§. IX. *Demonstratur suis ex fundamentis officium Liberos erga Parentes observandum, quod in obsequio ac gratitudine, tum Parenti ut Parenti, seu potius ut educanti, tum ut capiti familiæ præstandis, consistit; doceturque in moderamine inculpatæ tutelæ, communiter observando, nihil immutare istam Liberos obligationem, nec adeò peculiari ratione Liberos erga Parentes aggressores sese gerere teneri.*

§. X. Progressus fit ad dissentientium argumenta. Inter hæc recensetur (1) quod honor Parentibus debitus quoque exhibendus sit patientia, *Siracid. III. 9.* (cui respondetur præsertim per instantiam, quod erga quoscunque homines patientes nos gerere jubeamur, *Siracidis*que supervacua allegatio taxatur) (2.) Quod vinculum naturale inter Patrem & Filium nullo casu rumpendum sit, (cui satisfit, sensu ambiguo locutionis: vinculum naturale, evoluto, sicut & ibidem contra *Dn. Philippum Müllerum κατ' ἀποπρω* differitur.)

§. XI. Affertur adversariorum ratio (3) quod præstet perire, quam vitam datorem perdere, cum alioquin vel pro fratre vita sit ponenda, *1. Job. III. 16.* Quam refutamus ex eo, quod nec Pater vitam dederit, nec, si dedisset, eam ad Patris arbitrium linquendi, filiis jus sit; dictum vero *1. Job. III. 16.* juxta Collisionis regulas explicandum esse, traditur. Removetur postea exceptio Müllerii: quod non inter sit, te injuria & tyrannice invadi, sufficiatque te oportere Parentem servare vel presenti tuo exitio, undecunque illud ingruerit. Nam non ab injuria à Parentibus filiis illata, sed ab obligatione in Collisione Philantia & Socialitatis stringente, jus competens filiis, ad Parentes aggressores morti dandos, à nobis derivari ostenditur; licet concedatur, Parentum delicta non nisi in quibusdam Casibus filiis jus facere, ab obligatione erga Parentes se eximendi. Principium denique docetur petere illud: Quod filium oporteat Parentem servare, vel presenti suo exitio, undecunque illud ingruerit, cum de hoc impræsens controversetur.

§. XII. Adducitur ratio (4) quod fuga filius vim Patris evadere, *1. Sam. XIX, 10.* & vita vel per gravia vulnera conservari queat. Contra quam monetur, fugam non semper esse tutam, licet, si tuta sit, ob defectum Collisionis Philantia ac Socialitatis, Parentis interfectio omittenda veniat; vulnera verò, quæ ad mortem non infliguntur, non attendi mereri, sed, cum Collisioni dictæ locum faciunt, utique ob ea declinanda, filios ad mortem usque aggressoris Patris procedere posse. Subnectitur deinde argumentum (5.) desumptum ab exemplo Davidis, qui nec Socerum suum Saulem, licet valuerit, interficere unquam præsumsit, *1. Sam. XXIV, 7. XXVI, 11.* Ad quod regeritur, non de Socero, sed de Patre in themate nostro tractari, nec semper argumentationem à minori ad majus rectè se habere, si à socero ad Patrem inferre velis; insuper Davidem, hætenus extra casum Collisionis istius, (quo in præsens vitæ periculum, nonnisi cum morte aggredientis declinandum, quis conjicitur) extitisse, nec adeò ejus exemplum nostro Casui componi posse: imò Saulem, Regem Davidis fuisse, questionem verò nostram de Patre etiam non - Rege tractare.

§. XIII. Agitur de ratione (6.) quod honor Parentibus exhibendus, non leviter sit injunctus in quarto præcepto *Exod. XX, 12.* Ad quam observatur, quod præceptum quartum sit repetita lex naturalis, adeoque hoc in casu non stringat, cum legem naturæ, Parentum honorem præcipientem, obligandi vim in præsentem materia amittere, probatum antea dederimus. Nec vestigium quoddam vel in tota Scriptura, legis positivæ universalis, Liberorum officium attinentis, (æternæ enim legis istius desiderantur,) occurrere, nec promissionem quarto præ-


cepto adjectam, pro dispositione quadam universali positiva, (quod ea scilicet in quarto præcepto fuerit expressa,) militare, asseritur, (quia ob singulare desiderium Dei, hujus præcepti observationem ab hominibus efflagitantis, tantummodò *expressè declaratum fuit premium*, ejus legis observatores mansurum, quod eventurum tamen etiam fuisset, licet citra Dei fuisset declarationem; Et, utut determinatum genus præmi, in quarto præcepto expressi, per lumen naturæ indagari nequeat, tamen à determinatione præmi, rationi sibi relicte non constante, ad dispositionem ipsam, citra revelationem non cognoscendam, firmam necesse consequentiam negatur.) Proponitur deinde ratio (7.) ex lege Exod. XXI. 15. qua mors dicitur illi, qui percusserit Patrem suum, aut Matrem, deprompta. Cujus infirmitas ostenditur, quod *lex illa*, utpote pœnam capitalem filio infligendam concernens, non sit universalis, sed particularis forensis, (cum in eâ deficient signa legis positivæ Divinæ universalis, nec naturalis ipsa esse possit, quia est pœnalis:) & quod, quamvis esset universalis, hoc in casu nos non stringat, sicut nec Judæos olim, nostro casu apud eos existente, strinxit, quoniam nihil delinquit Filius, Patrem aggressorem occidens, sed potius id agit, ad quod per præcepta, Collisionem hanc Philætiæ ac Socialitatis dirigentia, obligatur. Denique (8.) fulcrum adversariorum diruitur, quod potestas Patris, qua ut caput Familie eminet, & ob quam principi aut regi eum conferunt, constituitur. Et hanc rationem impertinentem esse, exinde probatur, quod matris tamen, que filios aggreditur, trucidanda, potestatem filia non deneget; quod, comparatio Patris, ut familie est caput, & regis, non nisi in statu naturali obtinere possit, (cum in civitatibus, potestas Patris in familiam, arctis cancellis fuerit inclusa, & cum non soleat capitaliter puniri Princeps homicida, debeat puniri Paterfamilias in civitate vivens); quod adversus Principem Reipublica noxium, violenta defensione cum ipsius etiam morte uti liceat. Conceditur tamen, quod Paterfamilias aggressor, extra civitatem vivens, à filio propriam ideo subito mortem, saepe occidi prohibeatur, ob familie ruinam aut ingens detrimentum, ex morte Patris metuendum, cum è contrario spes, qua de vita Patris in salutem familia cessura, haberetur, in civitate, vel pœna homicidio statuta, vel fuga, necessario intervertat.

§. XIV. Argumenti (9.) à testimoniis humanis desumpti fit mentio, imprimis ex Osiandro, Hieronymum allegante; sed nos pugna in auctoritatibus fundata non delectari, aliamque interpretationem multorum locorum nobis objectorum fortè producere posse, (id quod in testimonio Hieronymiano, qui generatim officium Liberorum referens, non docet simul, illud etiam in præsentis nostro casu stringere,) traditur. Actorum autem, legum Romanarum Conditorum & Interpretum, auctoritates pro nobis allegantur; imprimis Lex 35. ff. de Relig. & sumt. Fun. (quæ lex aliquantulum declaratur,) cum Actoris, communi ore à pœna legis Pompeja filium absolventibus, qui Patrem hostem interficit. Adduntur speciatim Kremberg. de Necessar. defension. Mauritio judicium hic suspendenti, & filio mortis perpeffionem commendanti, laudatus, nec non Lessius nobiscum faciens, præter illos, qui Patrem bannitum rectè occidi tradunt, aliosque in notis nominatos.

§. XV

§. XV. Concluditur hæc Dissertatio, mentione parricidii facta, cujus & pœna asperissima, in legibus Romanorum statuta, & atrocitas (dum Parentes, maximi benefactores, omnium bonorum fundamento, vitâ privantur,) allegatis in notis, huc facientibus legibus ac Jctis, tanguntur; & ita cum gratiarum actione, ad Deum fusa, finitur.

§. I.



DE Liberis quæstio nostra tractat; per quos non alios intelligimus, nisi per naturalem generationem à quibusdam descendentes, gradu potissimum primo. (a) Hos, sive per legitimum, sive per illegitimum concubitum, in lucem editi fuerint; sive masculini sint sexus, sive feminini; sive in Parentum familia adhuc commorentur, sive ex eadem egressi fuerint; sive imperfecto, sive perfecto rationis usu præditi sint, (b) à nostra tractatione non exclusos esse volumus: modò ita comparati sint, ut & vim Parentum aggressorum repellere, & asstimare Parentes, intelligereque aliquatenus officia Societatis Paternæ queant. (c) Talismodi Liberis negotium intercedit cum Parentibus, qui sunt illi, à quibus per naturalem generationem Liberi primo potissimum gradu descendunt. Et, cum ipsi similiter, ceu liberi, vel feminae, vel masculi sint, atque vel per conjunctionem Legibus approbatam, vel per congressum à Legibus interdictum Liberos sibi quæsierint; (d) quoad præsens institutum nullam talismodi inter eos differentiam à nobis attendi scias.

(a) Ita descripti sunt Liberi in Præsidis Dissert. Morali: An Liberis, extra periculum constitutis, pro vita Parentum mortem oppetere liceat? Anno 1695. habita, Sect. I. §. 1. circa init. ubi etiam homonymicam vocis Liberorum explicationem habes, collatis notis sub (a) (b) (c). Gradu autem potissimum primo descendentes liberos, subjectum quæstionis nostræ constituimus, quia de his maxime solliciti erimus; licet ulteriori etiam gradu descendentes, minimè à nostra consideratione removeamus, cum paritas rationum, tum nostrarum, tum pro adversariorum sententia militantium, extensionem ad hos, à nobis dicendum, efflagitet.

(b) De his differentiis Liberorum, impræsentiarum nobis non curandis, vide citatam Præsidis Dissertationem l. c. nimirum Sect. I. §. 1. collatis notis sub (d) (e).

(c) Nam vim Parentum ut alia vi repellere possint liberi, necessariò requiritur, quia alias inutiliter disceptaretur: An justè contra Parentes aggressores defendant? Aliqualem autem Parentum & officiorum Societatis Paternæ cognitionem,

tionem, ut Liberi habere NB queant, (licet actu non habeant,) exigitur, quia sine hac si sit, frustrà etiam quæritur : Utrum rectè contra Parentes, cum eorum internecone sese tueantur ? Talis enim defensio, qualis à liberis nescientibus, nec scire valentibus officium suum, susciperetur; futura esset actio, intellectu non prælucente, nec præluere valente, adeoque non movente voluntate suscepta, quæ ergo cum inter humanas reputari nequiret, de ipsius moralitate malè disputares. Quare Liberi in furore constituti, aut aliò modò impediti, ne Parentes aut officia iis exhibenda cognoscere queant, etiamsi Parentes aggressores è medio tollant, huc minimè spectant. Et, quamvis forte ita comparati sint liberi, in quos parentes insurgunt, ut aliàs Parentes & officia sua erga illos exhibenda, non ignorent; tamen, si illi in ipso hoc casu constituti, invincibiliter Parentes pro aliis habeant, v. g. propter noctem, somnum &c. ad præsens etiam institutum non pertinent. Nam eo casu illi se non tuentur, quatenus liberi sunt, contra Parentes, quos tales esse scire nequeunt, ob ignorantiam aut errorem invincibilem hic occurrentem.

(d) Hæc etiam Parentum descriptio, cum differentiis eorum allatis, licet hic nihil nos morantibus, petita est ex laudata Præsidis Dissertatione sect. 1. § 1. circa finem, collatis notis sub (f.) (g.) (h.) Sicut autem potissimum ad Liberos primi gradus nos respecturos, jam antea monitum, ulterioribus tamen gradibus haud penitus neglectis: ita & Parentes, quos primi gradus dicimus, maximè quidem considerabimus, ita tamen, ut remotiorum graduum Parentes, alienos ab hac tractatione minimè simus facturi.

§. II. Liberos ergò hos, quos descripsimus, dictos Parentes iniquos experiri in nostri Thematis casu, apertissimum est. Parentes, *injusti Liberos Vita sunt aggressores. Vita Aggressores* ob istam rationem dicimus eos, quod sua sponte Liberos, nec ipsos daturi, [sive irati, sive irà vacui, sive cum intentione occidendi, sive tantum cum animo vulnera infligendi, (quæ sicuti non infliguntur ad mensuram, ita mortem facile causari possunt, metuique adeo Liberi pro vulneribus mors debet,) (a) sive destinato Consilio Liberos ferire gesti- ant, sive in alios destinatum facinus, propter errorem personæ, in Liberi sint patraturi, (b)] aggrediantur. Ex quibus etiam sua sponte jam consequitur, *Vita liberorum aggressores* idèò parentes nuncupari, quòd v. g. non bona liberorum, sed vitam ipsorum destruere intendant. (c) *Injustorum autem Vita liberorum aggressorum* nomine Parentes hos idèò insignimus, quod nullà potestate Liberos vitâ privandi gaudeant; dum vel jus vitæ & necis propter Leges Civiles (d) nulli Parentum, etiamsi Liberi peccent, competit, vel, Jure hoc Parentibus etiam competente, Liberi aut penitus non peccârunt, aut

B

tan

to delicto sese non macularunt, quod morte expiari (e) mereatur. Injustus enim Aggressor utique est, qui facultatem ipsi non competentem, in vitam alterius sibi asserit. (f) Ex hac ipsa verò *injustorum Aggressorum* denominatione apparet, à præsentì instituto alienos nos facere illos casus, ubi Parentes jure vitæ & necis gaudentes, ultimo supplicio Liberos, quod suo delicto promeruerent, afficiunt; pro injustis enim Aggressoribus minime haberi possunt illi, qui jus tantummodò, quò gaudent, exercent.

(a) Conf. JCos ad tit. ff. ad L. Corneliam de Sicariis, v. g. Lauterbach. *Comp. Juris* p. 695. Adde Dn. D. Mencken. in *Gymnasio Juris Polemico, Controversiarum Juris Civilis Disputat.* 18. thes. 10. & ibi citatos; ex quibus apparet, vulneraturum rectè quoque pro homicida futuro haberi: nec omittas inferius §. 7. & 12. hanc in rem proponenda.

(b) *Alias circumstantias* discrepantes in Aggressoribus Parentibus observandas, hic lubentes præterimus e. c. circumstantiam *armorum*, quibus *instruendi sunt Parentes* & c. Quod autem Parentes, in persona errantes, hic excludendi non sint, apparet vel ex eo, quod aliquis, sive errans, sive sciens, alterius vitam nihilominus impetat; & aded Collisio Philantropiæ & socialitatis oriatur, cujus præcepta observari etiam tunc par erit: (unde simul, quod obiter notatur, elucet, *non posse necessariæ defensionis jus, seu modum inculpatae tutelæ superstrui, facto in basi malo, qui abrumpit socialitatem, aggrediendo innocentem*, ceu quidam id fundamentum ponunt; vid. Pufend. de Offic. Hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 6. nam, cum erratur, aliquando non adest factum agredientis malum, e. g. si miles, jure occidendi hostem gaudens, amicum pro hoste habeat, eumque interficere conetur; apparet, inquam, potius *ex doctrina Collisionis dictæ, omnia, quæ in hac defensione justa sunt*, arcescenda esse, add. mox dicenda §. 6. & 7.) Cæterum confer de tali Invasore errante inferius §. 7., præsertim lit. (g.)

(c) Hinc casum, quo *tantum bona Liberos*, aut alia quædam, sine quibus vita Liberos salva esse potest, aggrediuntur Parentes, & quo Liberi contra tales Parentes, cum eorum morte, se defendunt, hic minime spectari, sed tantum illum, quo Liberos vitam in periculum conjiciunt genitores, hic considerari, neminem latebit. Quid autem liceat pro defensione bonorum, de eo *autores moderamen inculpatae tutelæ tradentes*, consulendi, conf. inferius §. 7. Hæc autem magnum usum habent in Collisione hic attendenda vid. inferius §. 6. 7. & ad §. 7. lit. (m) & (n) præcipuè.

(d) Conf. de *Lege Romuli*, (qua potestas Parentum erat infinita,) postea variè immutata, Dd. ad tit. *Institut. de Patria Potestate*, tit. ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris. Utrum verò potestas illa parentum *rectius ad necem usque liberorum*, (imponendam scilicet ob delictum,) extendatur, an contra *intra arctiores limites contineri debeat?* de eo disquiri B. Danbauer. in Colleg.

*Colleg. Decalog. ad præceptum secundum, Disp. Decalogica 6. de voto, §. ultimo p. m. 481. verbis: quam enim patriam &c. & Disput. Decalog. 10. ad præcepti quarti partem primam, in epistola §. 6. pag. 602. 603. Jurique Naturali illam repugnare putat, cum v. g. Parentes, in puniendis capitaliter liberis, affectibus possint esse occupati &c. Sed nos per accidens, non per se, hæc evenire, adeoque prohibitioni istius extensionis locum non facere, auctu-
mamus. Conf. de illo Jure Vita & Necis, Parentibus in Liberos competente, Oslandrum Theologiae Causalis Part. 2. c. 4. p. 1236. seqq. add. B. Pufendorf. de Offic. Hom. & Civ. l. 2. c. 3. §. 7. qui ipse etiam juri isti vitæ & necis contrarius videtur, & si citra spem emendationis, omnem disciplinam pertinaciter adspernetur puer, ejus domo patriâ ejectionem atque abdicationem tantum concedit, vid. lib. 2. de Offic. H. & C. c. 3. §. 4. Nostra ea est sententia, quod, quando gravi-
oris delicti, cujus justa pœna mors est, se reos fecerunt Liberi, omnino à Pa-
rentibus, jure vitæ & necis in ipsos gaudentibus, capitaliter puniri valeant; dum modò malitiose delictum admisisset, & ita verè graviter peccasse disci possint Li-
beri. Illam tamen potestatem, ob delictum vita exuendi Liberos, non largimur Parenti, ut tali; (quippe qui solummodò ad educandos liberos obligatus est, conf. inferiora,) sed Parenti, ut capiti familiae, cujus pars filius existit: imò largimur eandem Parenti, ut cum nuda, qua omnibus hominibus competit, obligatione spectato; omnem enim hominem (nisi intra civitatem jus vitæ & necis sibi tantummodò justissimis de causis reservaverit gerens summam po-
testatem,) ad illum è medio tollendum, per præcepta Socialitatis & partim Philantropiæ teneri arbitramur, qui non nisi detrimento hominibus futurus est, & quò non punire, alii à simili delicto deterreri nequeunt: quo casu utique, sicut in omni pœna, cessat Socialitas, aliàs erga delinquentem observanda.*

(e.) vid. modo dicta sub (d.)

(f.) *Injustum* hic vocamus eum, qui quocunque modo officia Socialitatis lædit, seu qui non exercet justitiam, quæ audit, universalem; quam omnes virtutes (scil. Socialitatis) in se comprehendere putant, & cujus à bonitate actionum aliud discrimen ignoramus, quam quod bonitas de actionibus generaliter dicatur, sive respiciant hæc Deum, sive ipsum agentem, sive alios, justitia verò de actionibus tantum, quæ erga alios exercentur, usurpetur; ut adeò differentiam, à Pufendorffio inter utramque hanc actionum affectionem de Officiis H. & C. l. 1. cap. 2. §. 13. obscure allatam, nisi ut nobiscum faciens explicetur ille, haut agnoscamus. Non ergo descendimus, dum hanc injusti aggressoris appellationem in medium adducimus, ad particularis justitiæ species, quibus, utpote nullum usum in vita humana præbentibus, carere posse eum censemus, qui magis ex legibus, quam vocabulario virtutum quarundum, omnia, quæ hominibus aut agenda aut omittenda sunt, æstimare didicit. Nec putabis, si hæc à nobis jam dicta rite pensitare decreveris, quod *injustus aggressor* nobis audiat ille, qui habitu injustitiæ præditus est; (confer de justitia pro attributo personæ, h. e. habitu sumpta, laudatum Pufendorffium l. c. §. 12;) nec enim *injustum* hunc tantum vocari, communis loquendi usus docet, qui habitu injustitiæ deformis

est, sed & qui actionem injustam exercet; Quomodo etiam hoc loco *injusti aggressoris* titulo indigitamus illum, qui in *aggressionis facinore injustè agit*, licet fortè aliàs justè vivat.

(g) Sive Parentes in civitate, sive extra civitatem hoc jure polleant, neutro casu *injusti*, sed *justi* potius aggressores sunt liberorum. Conf. *notas (d.) & (e.) hujus sphi.*

§. III. Quando igitur Parentes injustè aggrediuntur Liberos, an *contra eos, cum ipsorum morte, se defendere liceat Liberis*, investigare lubet. Et nulla quidem explicacione hic indigent termini: *se defendere cum Parentum morte*; quam defensionem tum contingere nemo non videt, cum liberi, quorum vita à Parentibus impetitur, (a) suam tueri vitam contendunt, & quidem ita, ut Parentes ipsos è medio tollant. Utrum autem *alia via declinandì mortem, à Parentibus intentatam, proli supervsit*, an *hec unica, Parentum occisio*, ei relicta sit, in ipsius quæstionis, prout jam generatim spectatur, propositone tangere non placet. Cum enim utroque isto modo, Liberis cum Parentum morte se defendendi potentia sit, de ejus etiam utriusque defensionis moralitate generatim jam quærimus. (b) Pari ratione ab illa circumstantia, in ipsa hujus casus formatione, lubenter abstrahimus: *utrum primariò, an secundariò in sua defensione Liberi Parentum mortem intendant, aut, an tantum suam defensionem, non mortem Parentum respiciant?* (c) Sufficere enim nobis videtur, quod Parentum necem intenduri minimè essent, nisi propria ipsorum vita in periculum coniecta deprehenderetur.

(a) *Hæc ex superioribus patent, scilicet §. 2. verbis; Vita Aggressores; item: eos neci daturi, nec non: ex quibus etiam &c. conf. ibi notam (c.)*

(b) *Hæc tamen distinctio, quoad Casus nostri decisionem, omninò attendenda à nobis erit inferius, ubi de Collisione Socialitatis & Philantropiæ, & speciatim de moderamine inculpatæ tutelæ agemus §. 6. & 7.*

(c) *Vid. de hac distinctione intentionis posteriore, Grotium de J. B. & P. l. 2. cap. 1. §. 4. ex Thomæ agentem, & confer Zieglerum ad locum Grotii p. 101. qui paulo aliter Thomæ hanc distinctionem, ac Grotius, explicat, eamque ita explicitam rejicit; sibi tamen cum distinctione priore, inter intentionem defensionis primariam, & internecionis intentionem plane secundariam, & nonnisi cum lucta quadam conjunctam, maximoperè placet. Sed fortè etiam primariò & sine lucta quadam, internecionem aggressoris, in vaso intendere non illicitum. Sane in casu aggressionis, defensio ne sine internecione adversarii quidem concipi ac intendi valet; Quare, sicut ipsam defensio-*

defensionem, ita quoque mortem hostis intendi ab illo, qui vim patitur, plane necesse est. Illud autem verissimum, quod & defensio propria & inimici occisio, non nisi ob propriam conservationem, quæ isto casu aliter obtineri nequit, intendatur. Nec *luctam* quandam animi requiras, cum enim Lex naturalis eo casu jus det, imò obligationem imponat, ad defensionem propriam cum morte hostis suscipiendam, profectò luctam malè adesse jubas; quoniam illa, ad quæ jus à Lege nobis datur, ac ad quæ obligatio Legis nos astringit, non necesse est cum lucta quadam agere. Quid? quod à tam subtili abstractione luctaque ista non abhorre non possit conditio in periculo mortis: summa cum mentis consternatione constituti; saltem *nimis durum videtur, obligare hominem in ea necessitate constitutum ad ejusmodi Metaphysicam*, quod contra Zieglerum urgere ipsi possumus ex eodem; citat enim *loc. cit.* de ista sententia Gregorium de Valentia.

§. IV. Restat evolutio significationis *væ liciti*; quærimus enim, an Liberis &c. se defendere liceat? Nihil autem aliud per illud, quod *licet*, denotare nobis sedet, quam *quod Legibus non repugnans, seu non prohibitum est*: perque has leges, cum Philosophos nos jam gerere deceat, non humanas, sed divinas, & quidem minimè positivas universales aut particulares, sed *naturales* (a) intelligimus. Utut autem fortè ex dicendis clarum esse nemo negaturus sit, quod sapius laudata Liberorum contra Parentes defensio *præcepta sit*, ut ad eò eandem omittentes Liberi, peccato non sint immunes; tamen *in genere hinc de licito* nos quærare nihil officit. Licitum enim sicut pro specie agnoscit non solum id, quod est indifferens, sed & ad quod obligaris per præceptum: ita non excludit quæstionem de præcepto, licet eandem etiam expressè non includat. (b) Nec infrequens est, ut Autores de genere aliquo quærare instituentes multa in medium proferant, quæ, sicut genus ex ipsorum intentione stabiliunt, ita non minus decisioni quæstionis de specie viam sternunt. (c)

(a) Equidem Auctores, ad quorum refutationem accingere nos oportebit, inter alia fundamenta, ad dicta quoque S. Scripturæ provocabunt. At verò, quia in S. Pandectis nihil circa leges naturales, de officio Liberorum Parentibus debito conceptas, immutatum esse putamus; ad ea Scripturæ loca respondere, nihil aliud nobis esse videbitur, quàm legum naturæ objectarum examen instituire. Idem de exemplis ex Scriptura adducendis habendum erit, quæ similiter juxta Jus Naturæ expendi merebuntur. Conf. infra §. 12. &c. in primis §. 13.

(b) Vide *Præsidis Dissertat. citatam, Sect. 1. §. 3.* & quæ ab aliis prope-

diem circa casum quendam alium Juris Naturæ difficillimum in lucem publicam emittentur.

(c) Rectè scilicet ex decisione de specie inferas ad decisionem de genere, licet vice versa illatio à decisione de specie ad decisionem de genere non valere possit. Et ita, quæ à pluribus de *moderamine inculpata tutela licito*, quæ de *mutilatione membri ob mortem evitandam licita*, quæ de aliis in *necessitatis casu licitis*, solent, disputari, non nude hæc licita, sed etiam per præceptum injuncta simul esse docent.

§. V. Sensus ergo Thematæ nostri satis superque clarus erit. Deveniendum nunc est ad ipsam ejus decisionem, quæ ut felicius procedat, fundamenta definiendæ quæstionis indaganda veniunt. Hæc *requisita esse moderaminis inculpatae tutela, & officium Liberorum*, quo Parentibus suis obstringuntur, multum monere non opus est. Cum enim in casu proposito necessaria Liberis sui sit defensio, nî mori malint, utique explanatio *moderaminis inculpatae tutela* ostendet, quomodo rectè cum morte Parentum Aggressorum, sui tutelam suscipiant, si *abstractim ab obligatione filiali*, & nude tanquam invasi, considerentur. An autem *officium Parentibus præstandum*, aliquid *peculiare à Liberis* istis, quos Parentes morti dare intendunt, exigat, postea ejusdem accuratior docebit inspectio. Quoniam autem *Requisita illa*, quæ inculpata tutelam efficiunt, ceu dicenda monstrabunt, omnino ex doctrina de *Collisione Philantia & Socialitatis* dependent; hinc paulò altius ista repetenda erit. (a)

(a) Sane, quando *requisita omnia adsunt, quæ in horum præceptorum Collisione Philantiam præferre jubent Socialitati, moderamen inculpatae tutela est legitimum, imò præceptum*. Et licet inter *requisita moderaminis inculpatae tutela* referri aliqua soleant, quæ in Collisione dictâ præferri philantiam Socialitati non ostendunt, sed potius clarum reddunt, nullam adesse Collisionem; nihil tamen prohibet, inter *requisita Collisionis*, præter ea, quæ docent, utrum præceptum in ipsa Collisione data sit attendendum, etiam hæc computare, quæ necessaria sunt, ut Collisionem adesse probari queat. Hæc fortè rectè dixeris *requisita existentia Collisionis: illa, requisita tollenda Collisionis*; ceu omnia mox clarissimè apparebunt.

§. VI. *Collisionem Philantia & Socialitatis* nihil aliud esse, quam *apparentem pugnam* (revera enim, cum tunc alterum præceptum non obliget, alterum verò tantum obliget, invicem non pugnant,) *præceptorum, Philantiam & Socialitatem injungentium, quorum altero observato, alterum necessario negligendum esse videatur*, ex dictis alibi à Præsidente (a) satis superque evidens. Hanc adesse

esse ex alio fundamento colligas, ex aliis verò fundamentis concludas, *utrum præceptum, collisione presente, alteri præferendum sit.* Adest illa, quando neglectus alterius præcepti medium necessarium ac certum (minimè maximè probabiliter, quod *moraliter certum* appellant,) suppeditat, ad observandum alterum præceptum. (b) Nam si tale necessarium medium neglectus alterius præcepti non sit, (quod contingit, si vel actiones, utroque præcepto *injunctæ*, exerceri simul possint, vel actionum, quas utraque lex intendit, neutra, vel tantum altera, effectui dari (physicè scilicet) valeat,) Deum homini jus ad negligendum illud tribuere, quod necessario negligendum non est, quò alii legi satisfiat, nemo sanus statuatur. Si verò certum hujusmodi medium dictus alterius præcepti neglectus non sit, apparenter sanè non pugnant invicem duo ista præcepta, ita ut eorum alterò servatò, alterum servari nequeat. Nam vel *utrumque simul*, vel *neutrum*, vel *alterum tantummodò*, servari tunc posse apparet, quibus ergò casibus positis, Deus nolle rectè existimatur, ut legis alterius suscipiatur neglectus, ob apparentem legum istarum pugnam, quæ tum prorsus deficit. Ita investigandum, an invicem *Philantia & Socialitas collidantur, nec ne.* Dato autem talismodi concursu, eum vel contingere *rationi boni*, (mihi aut alteri comparandi,) vel *ratione mali* (mihi aut alteri inferendi,) certissimum. (c) *Ratione mali* si contingat, (de hac enim collisionis specie ut impræsentiarum tantum solliciti simus, instituti ratio poscit,) *præceptum illud, haud curato alterò, solummodò observandum est*, (1) *cujus observationem efflagitat utilitas publica, aliàs violanda: cui (utilitati) si per neutrius præcepti neglectum vis inferatur, aut, si æquale publicum enasciturum, sit damnum, sive hanc, sive illam legem negligas; illud tum obligat præceptum, quò non observatò, malum sibi ipsi aliquis esset procuraturus.* Quæ tamen regula non aliter procedit quam si (2) *ratio quoque mali habeatur, in quod & ille, cui Philantia videtur esse præcepta, & is, cujus ob Socialitatem cura esset habenda, conjiciendus est, nec alteri gravius malum concilietur, quò alter levius effugiat malum.* (d) Plurium enim saluti Deum plus studere velle, quam unius, non indiget uberiore deductione; & nisi Creator optimus creaturæ suæ alicui admodum foret iniquus, unius omnia,

accæ-

ac cæteris nihil addicere impiè dicendus esset, malorum proprii ac proximi comparationem ipsi non posse displicere, nemo inficiabitur. Nec valet etiam non jubere, ut quælibet creatura seipsam magis ac alteram in pari causa observet; cum quemlibet hominem sibi *proximum* dederit, & quisque optimè sciat, *quomodo ipse imposte- rum Dei legibus sit morem gesturus*, cujus scientia de altero nulla est, aut incertissima; ipse etiam singulas *suas creaturas* æque amet, omnium Creator ac Conservator, & nulla adeò ratio dari possit, cur ab homine alterius hominis amorem majorem aut æqualem, in pari causa exigat. (e)

(a) Vid. citatam *Præsidis Dissertat. Sect. 1. §. 4.* conferque ibid *spho 5. lit.* (a) citatos *Autores*, de *Collisione* agentes. Addas *Böhmerum* in *Dissertatione de Casuali Legum Collisione*, *Helmstadii A. 1694* habita, p. 1. quò *Collisionis natura & fundamenta* aliquantulum addiscas, licet hic vir, accuratiori animi lance *Collisionis* materiam trutinanti, tantum non ubique veniat deferendus.

(b) Conf. dictam sæpius *Præsidis Dissertationem Sect. 1. §. 7. requisito 1.* ubi *necessitas mediæ sub certitudine comprehensa* fuit. Et rectè quidem, expressum in *regula hac prima requisito*, ibidem pro *requisito Collisionis Philabætiæ & Socialitatis* habetur, licet tantum exinde cognitio præsentis aut absentis *Collisionis* dependeat. Scrupulo enim omni hac in re liberaberis, si conferre lubeat in nostra hac præsentem *Dissertatione §. præcedentem 5. lit. (a)*

(c) Vide de hac aliisque *Collisionis Philabætiæ & Socialitatis distinctio- nibus* eundem *Præsidem loc. allegat. §. 5. ac 6. & infra* notanda sub (o)

(d) Vide *Dissertationis Præsidis dictæ sphum 7. requisito 2. & 3.* ubi quidem *requisitum*, ab *utilitate publica* petatum, (de quâ conferas etiam *M. Spiesmacherum* in *Dissert. morali Lipsiæ 1686. habita: quod licitum sit certis in Casibus vitam morti exponere, pro salute alterius, sect. 1. §. 14.*) ultimo loco non malè ponitur, cum *semper primo sit eo respiciendum, utrum adsit Colli- sio, nec ne*, adeoque primum, quod ibi est, *requisitum*, ante omnia atten- di mereatur; postea verò sæpiissime vel *sola comparatio mali, Collisione præ- sente*, ostendat, quidnam agendam sit, ut ideò *utilitatis publicæ respectu* ca- rere nonnunquam possis: quanquam etiam *hac utilitas* non rarò magis & prius, imò solitarie veniat attendenda. Illud autem neminem turbet, quod *Præses tria citata requisita adduxerit de casibus, in quibus ratione mali collidun- tur Philabætiæ & Socialitas*, & quidem ita, ut *Collisio ista absque facto al- terius, cui Collisio negotium faceffit, existat, alterque hætenus periculi sit expers.* Neutiquam enim de iis solummodò, exclusis aliis casibus, ipsa accipi vo- luit. Ratione etiam reliquorum *Collisionis Phil. & Social. casuum utique* ista

ista requisita procedunt, ceu ex præfenti nostro casu ex parte patet, in quo *Collisioni ratione mali* aggressor suo facto causam præbet, & uterque, (cum aggressor, tum invasus) simul ab initio in periculo constituuntur. Hoc adhuc observandum est, gravitatem mali non tantum ratione sui æstimandam, sed potissimum quoque ad illius gravitatem definiendam, circumstantias alias consulendas esse, ita ut malum gravius v. g. sit, quod alterum magis afficit; (unde alapa regi infligenda gravius malum est, ac ictus fustium, rusticum manens.) Quod autem requisitum de *utilitate publica* conceptum, tacitè quoque Collisionem importet Philantia, aut Socialitatis erga alterum, (cum quo alicui negotium est,) observandæ, cum Socialitate erga plures illos, qui boni publici participes fiunt, exercenda, non negandum est. Nihilominus Collisionem tantum hic esse dicimus Philantia & Socialitatis erga unum illum alterum exercendæ; cum immediatè de officio, mihi aut illi alteri exhibendo, solliciti hic simus, licet per consequens etiam idem officium aliis præstetur. Nec putes, aliquando Collisionem Philantia ac Socialitatis tacitè quoque importare posse Collisionem cum Cultu Divino, & ideò à nobis pari ratione aliquod requisitum addendum fuisse, Cultum Divinum in hæc Collisione observandum concernens. Nam, quando *Cultus Divinus* immiscetur *Conkursui Philantia & Socialitatis*, peculiaris atque immediata istorum præceptorum cum cultu Divino adest Collisione, quæ ideò ad solam Philantia & Socialitatis Collisionem reduci nequit: (E. g. si quis aliquem adoriatur, eum aut amicum ejus neci daturus, nisi Deum abjuret, & uter perendus sit, ab invasi electione suspendat; tum Collisiones adsunt & Philantia cum Socialitate, & Philantia itemque Socialitatis cum Cultu Divino, immediata, & separata, non una adest Collisione, quæ alteram tacitè & mediate involvat.) De cætero alia quædam requisita esse observanda in Collisione Socialitatis cum Philantia, ratione boni contingente, non abnuimus, sed ea impræsentiarum adducere citra nostrum scopum foret; licet in paucissimis tantum ea, quæ hic relata, immutanda veniant, cum ad istam Collisionem oculus dirigendus: sicut etiam in omnibus aliis Collisionis speciebus, dicta hoc loco requisita attendenda sunt, si pauciora variare velis.

(e) conf. infra notata §. 7. in fin. & in not. ult. ejusdem §. 7.

§. VII. Hac cum Collisione si conferas de moderamine inculpate tutelæ tradi sœveta, omnis, quæ circa eam occurrere non paucis videtur, difficultas statim evanescet; dictis enim liquidissimis Juris Naturæ principiis omnia innituntur. Quando ergò non necessarium aut incertum medium ad observationem Philantia, vitam nostram aut alia nostra conservare jubentis, suggerit socialitatis, proximi necem prohibentis, neglectus; nulla adest inter dicta præcepta, de vita nostra servanda, proximoque non neci dando Collisione, atque adeò pessimè susque deque habetur socialitatis lex, homicidium prohibens. Quare, ut

C

requi-

requisita, quæ B. Pufendorfius (a) ad moderamen inculpatae tutelæ
necessaria existimat, ad solida sua fundamenta referamus, si (α) ita
contra aggressorem te defendere queas, ut ipsum, te licet læsurum, non
lædās, si (β) tutiora remedia tentare valeas, ac interfectionem aggressor-
is, (b) si (γ) ex loco tuto ad provocantem ultro descendas, atque ita
proprio motu Collisionem, quā carere poteris, excites, (c) si (δ)
fugam tutam omittas, si (ε) ultro ad duellum provocatus compareas,
atque ita etiam petulanter Collisionem dictam causeris, (d) si (ζ)
alii, non tibi nociturum ipse aggrediaris, (e) si (η) lesionem tantum
ex alterius malitia suspiceris, si (θ) jam periculum cessaverit: (f)
omnibus & singulis hisce casibus datis, malè cum morte proximi,
propriam tueberis vitam, quia necessaria non est ad hanc servan-
dam proximi mors, adeoque nulla intercedit inter Philantiam & So-
cialitatem Collisio, quam demum malitiosè quibusdam in casibus
aliquem causari apparet. Contra, si (α) quis, cum ad negotia ex-
pedienda in publicum prodiit, in periculum incidat, si (β) in aperto
aut alio ad fugam minus tuto loco constitutus non fugiat, si (γ) eum,
qui prior alterum læsit, postea pœnitentia læsionis ductum, continu-
atis adhuc injuriis, vitam impotentibus, persequatur læsus, si (δ)
per errorem, furorem &c. ab alio quis invadatur, (g) tunc adest
Collisio: alterius enim præceptorum dictorum neglectus necessarius
est ad alterius observationem. Etiam si verò (α) tum lædens duntaxat
vulnera infligere, aut membrum in vaso amputare voluerit; (h) etiam
si (β) Reipublicæ videatur esse posse utilior, læso superstite; lædens,
si vitæ bonum integrum servet; qui (lædens) tamen nec princeps,
nec alius est, grandem Reipublicæ ruinam, (non secuturam, si su-
pervivat,) sua morte secum tracturus; (i) etiam si (γ) lædens in
periculo æternæ salutis constituatur; (k) his omnibus tamen
in casibus certum medium observandi Philantiam, suggeritur
in vaso, per omissionem exercitii Socialitatis, invadentisque necem:
Cum contra incerta sit Socialitatis, Philantiâ neglectâ, ob-
servatio, [quia homicida tuus, te etiam Reipublicæ utilior,
qui non est Princeps, aut persona talis, qualem descripsimus,
secundum Leges Divinas, in Republica easdem observante, morti i-
terum dandus est, aut fugâ minimum consulere sibi cogitur, spera-
tataque adeò ab eodem, necessariò intercedit utilitas; & (quod de
altero

altero casu tenendum,) quia incertissimum est, ledentem etiam postea,
 sive secundum Legem Divinam à magistratu occidendum, sive alio
 modo occubiturum, æternum iri salvatum;] incerta etiam sit vulne-
 rum ad mensuram insidiatio, & exinde proventura mortis evitatio,
 atque hinc incerta sit, vulneribus toleratis, Philantia vitæ conserva-
 tionem injungentis, sine Socialitatis neglectu, observatio. Si ergo
 hoc modo Collisio Philantia & Socialitatis existat, comparatio inter
 damnum ab aggressore tibi illatum aut inferendum, & homicidium læ-
 dentis instituenda, ne minus malum proprium majore proximi ma-
 lo declinetur. Hinc, si (α) levis inferatur injuria, vitam alterius
 maximè probabiliter non impetens, (l) si (β) pudicitiam alicujus vi
 violare conetur, lascivo amore furens, (m) si (γ) rebus alicujus ra-
 patrix manus insultet, nec simul vitam queri colligere queas; (n) tunc
 male, (etiam si bonorum istorum jactura facienda, Philantiaque adeo
 necessariò negligenda sit, proximo non interemto, (o)) ad ce-
 dem usque delinquentis latus progreditur. Contrà, si vita alicujus
 in præsens periculum conjiciatur, non nisi cum morte alterius effugi-
 endum, etiam si latus imparibus armis sit usus, par est utriusque ma-
 li, quod ex neglectu Philantia aut Socialitatis est proventurum, æsti-
 matio. Denique, si utilitas publica ledenda certò foret, aggressore
 vivis erepto, que, eodem servatò, sarta tecta servari posset; (p)
 [quod tum contingit, cum Princeps aggressorem se gerit, quem
 non nisi cum præsentaneo communis salutis detrimento occidas: Non
 enim si ab hoc innocens injustam perpetiaris mortem, Reipublicæ
 ex ejus vita sperantam utilitatem, interverti opineris, quia cessat
 in talismodi Principe, innocentem occidente, Legis Divinæ, de
 homicida capitali supplicio plectendo, dispositio, cum Deus neu-
 tiquam censerì possit, malle strictissimam legis suæ observationem,
 quam multorum salutem, necessariò ledendam, si præceptum illud
 nimis rigorosè applicetur, quod certè est propter homines, non homi-
 nes autem sunt propter illud:] omittenda aggredientis est occisio,
 licet hanc omissionem mors invasi propria sit infecutura. Si autem
 vel pari, vel minore utilitate Reipublicam exhilaret aggressor, ac
 à te invaso proficiscitur: omninò rectè ipsum, cum morte ejus, à
 te repellas, quò propriam serves vitam. Ex his ergò defensionis
 violentæ ratio sat est liquida; quam, quod ex superfluo hinc mo-

nemus, utique ob intentionem Dei, si moderamen dictum observetur, pro precepta, non tantum pro licita habere nos oportet (q).

(a) De Officiis Hom. & Civ. lib. 1. cap. 5. à §. 5. seqq usque ad §. 17. Requisita tamen ab hoc Illustri Viro proposita, non potuimus non alio ordine, ac ipse fecit, disponere, cum alias ad certa fundamenta revocari non potuissent: sicut etiam in haut paucis requisitis à nobis deserendus fuit. Conf. Auctores de moderamine inculcata tutela, ejusque requisitis agentes, quorum non parvum numerum citavit Praeses in dicta Dissertatione sect. 1. §. 5. lit. (c). Jungi tamen iis possunt Dn. Thomae in der Einleitung zu der Sittenlehre/ cap. 8. §. 19. -- 24. Illustris Erici Mauriti Dissertatio de Vita defensionis Favore, quæ nunc reperitur inter ejus Dissertationes & opuscula Francof. ad Mæn. edita, Balduinus Cas. Conscient. l. 4. c. 1. cas. 12. 13. 14. 15. Mengerling. Scrutin. Conscient. c. 9. cas. 56. it. C. E. D. in Theolog. Casual. sect. 3. c. 1. quest. 5. 6. 7. 8. p. 156. -- 159. cum Casuistis communiter, inter quos illi, qui secuti sunt ordinem Decalogi, videndi veniunt ad preceptum quintum.

(b) Vid. de casu sub (a) B. Pufendorf. de Offic. Hom. & Civ. l. 1. c. 1. §. 5.; de casu vero sub (β) eundem l. c. §. 7. circa in it. (quem locum præsertim notes, quò hoc sub (γ) requisitum, à præcedente distinguere queas.)

(c) Vid. R. Pufend. de Off. H. & C. d. l. 1. c. 5. §. 13. Adest tùm quidem Collisio Philantia ac Socialitatis, si ex loco tuto ad provocantem descendens, ab eodem impetatur, (sicuti etiam, si omnia cetera hic sub (a) usque ad (θ) relata requisita contempnas, & alter te, desistere deinceps à lesione volentem, ulterius laceffere pergat, Collisionem non abesse dicas;) at verò, quia provocatus descendens, Collisioni quoque causam præbet, quam evitare facile ipsi fuisset, utique is gravi se contaminat delicto. Dei enim voluntatem minimè eam dixeris, ut pro lubitu duo aliqua mandata, quæ nobis præscripsit, in Collisionis Statum deducendi, (ubi necessario alterum negligendum est,) libertatem nobis fecerit; cum illud Divinum Numen potius intendat, ut utrumque, utpote æquè nobis injunctum, diligenter, quantum possibile est, observemus. Quare rectè ille, qui hoc modo Collisioni occasionem suggestit, limites moderaminis inculcatae tutelae transgressisse communiter judicatur. Verùm, quid talismodi tamen homini agendum restat, qui nunc, suo licet legibus disconveniente facto, in statu eo existit, ubi Philantia & Socialitatis præcepta invicem colliduntur, & vel ipsi (quod Philantia contrarium videtur,) adversarii vi succumbendum, vel inimico (quod Socialitas videtur prohibere,) mors acceleranda est? Nostra ea de hoc mens est, obligari ipsum ad pœnitentiam in ipso facto, (postquam nempe provocanti se præsentem stitit,) agendam declarandamque, ac ad Collisionem dictam, si fieri possit, corrigendam. Hoc, si facere negligat, jus putamus esse provocanti adversario, sed pœnitenti, eundem è medio tollendi, (provocatus enim novus est aggressor;) Si dictum verò officium rectè exequatur ille, quem diximus, provocatus, nec in adversario provocante, intentionis de occidendo altero mutata, signa

signa appareant, tunc statuimus, hunc provocatum obligari, ad hostem, observatis ceteris Collisionis requisitis, etiam cum ipsius morte repellendum. Non enim persuaderi nobis patiemur, aliquem, licet suo delicto Collisioni occasionem præbentem, ideò ab obligatione eximi ad Philantiam aut Socialitatem observandam, (prouti istam observationem Collisio exigit,) tum temporis, cum Collisionem, quantum in se fuit, mutare conatus est, jusque adeò, quod alter ad ipsius interfectionem habere videbatur, mutato animò elidit; alter vero contra furiosum animum retinens, aut eundem exutum recipiens, Collisionem Philantia ac Socialitatis verè de novo introduxit. Negamus igitur capitali pœna rectè eum affici, qui in ipso facto dicta ratione pœnitet, seque cum hostis occisione tuetur, cum agat id, quod agendi Jus habet, licet, dum aliquo tamen modò causam Collisioni, quæ citra ejus factum non affutura fuisset, præbuit, omninò etiam multum deliquerit, ideòque gravibus pœnis, isque non capitalibus subjici possit. Et hæc quidem meditata de Jure Natura pro veris venditamus, à Juribus positivis jamjam abstrahentes. Observes verò insuper, quod plane eadem, quæ hæctenus diximus, obtineant in iis, qui cetera requisita hic loci sub (a) usque ad (d) allata, minimè curaverunt, quoniam etiam, iis deficientibus, Collisionem adesse posse, jam jam monitum. Imo ne Aggressorem quidem, in ipso facto pœnitentem, a favore defensionis, de quo modo diximus, excludendum esse, ex dictis colligas; nec adeò malè ejus, qui prior alterum læsit, sed pœnitentiâ facinoris postea ducitur, inter requisita, quæ veram Collisionem adesse ostendunt, sub (γ) nos meminisse, ex his inferas. Conf. de eo, qui Collisioni causam præbuit, Grotium de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 1. §. 18 & Dn. Pufendorf. lib. 2. de Jur. Nat. & Gent. cap. 5. §. 19. nec non de Offic. Hom. & Civ. d. lib. 1. cap. 5. §. 17. ubi cautionem de non amplius offendendo, etiam ab adversario pœnitente offerendam, requirit: quam verò nos necessariam non putamus ad id, ut defensio violenta licitè suscipi ab eodem queat; cum ei in ipso actu aggressionis constituenda non facile sit locus, & Collisio jam sublata sit, si ipso opere atque verbis testetur offendens, se à læsione invasi jam cessandi, animum infucatum habere.

(d) Vid. B. Pufendorfium de casu sub (d) de Off. Hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 13. & de J. N. & G. l. 2. c. 5. §. 13. 14; de casu verò sub (e) vid. eundem de Off. H. & C. c. 1. §. 13.

(e) Conf. B. Pufendorf. de Off. Hom. & Civ. l. c. §. 11. Grot. d. J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 4. Hic nempe primò & immediatè adesse Philantia ac Socialitatis Collisio nequit, quoniam alii, non tibi nocere intendunt hostes, nisi per consequentiam & mediate aliquando damnum proximo inferendum aut illatum, etiam in tuum detrimentum vergat. Existit potius tunc proximè Socialitatis ac Socialitatis Concurfus, dum præceptum Socialitatis proximo invaso succurrere jubet, ledere verò invadentem vetat. Non inficias tamen ibimus, etiam hisce in casibus remotè (non tantum ut modò notatum, mediante proximo,) Socialitatis cum Philantia aliquando Collisionem contingere, si nempe Socialitas proximo in necessitate constituto subvenire jubeat, magis verò propriæ salutis cu-

nam præcipere videatur Philættia. Quomodo si se habeat casus, comparatione instituta inter quantitatem mali proximum prementis, instantisque proprii, nec non respectu habito ad utilitatem plurium, ex malo proximo aut tibi conciliando, magis aut minus lædendam, (eadem enim Collisionis inter dicta præcepta, quæ supra adduximus, hic etiam erunt fundamenta,) omnis res decidenda erit.

(f) Conf. de casu sub (n) *Grotium de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 17. & §.* (ubi generaliter de certo, non verò opinabili periculo, ad defensionem violentam requisito, loquitur;) licet dissentire videatur *Pufendorfius*, quod statum concernit naturalem, de quo *mox sub lit. (l)* ad hunc §. 7. De casu verò sub (o) *vid. etiam Pufendorf. de Off. H. & Civ. d. l. 1. c. 5. §. 12.*

(g) De casu sub (a) *vid. Pufendorf. de Offic. Hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 13;* de casu sub (c) *vid. eundem ibidem §. 13;* de casu sub (y) *conf. modò dicta sub (c) hoc spho;* de casibus sub (d) *vid. dictum B. Pufendorf. de Off. Hom. & Civ. cit. l. 1. c. 5. §. 10. & de Jur. Nat. & Gent. l. 2. c. 5. §. 5.* nec non ibi citatum *Grotium.*

(h) *Conf. supra notata ad §. 2. lit. (a)* Consentiant nobis *Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 6.* ac *B. Pufendorf. de Off. Hom. & Civ. l. 1. c. 5. §. 14. & de J. N. & G. l. 2. c. 5. §. 10.* *Conf. tamen etiam Dn. D. Alberti in Compend. Jur. Nat. part. 2. cap. 3. §. 15.* qui aliter paulò, ac nos, hac de re differit.

(i) *Conf. mox notanda lit. (p) & Dn. D. Alberti in Compend. Juris Nat. part. 2. cap. 3. §. 13. num. 15.* utut dissentiat *Grotius l. c. l. 2. c. 1. §. 11.*

(k) *Conf. Dn. D. Alberti in Comp. Juris Nat. cap. dicto,* (ubi expressè, etiamsi alter in periculo aterna salutis constituatur, defensionem violentam, cum interfectione ipsius invaloris conjunctam, præceptam statuit,) *B. Pufendorf. de Jure Nat. & G. lib. 2. cap. 5. §. 14.* atque *Grotium de Jur. Bell. & Pac. l. 1. cap. 3. §. 3.* verbis: *instet fortè aliquis;* à quibus auctoribus plures rationes huc spectantes afferantur. Nos unico argumento hujus, quæ nobis probatur, sententiæ, maximè, ut nobis videretur, solidò, contenti sumus, ab aliquibus enim aliis fortè non immerito exceptio admittitur quibusdam in casibus. Dissentire tamen à nobis hac in re cupit, reverà sibi ipsi contradicens, *M. Spiesmacherus in Dissertatione morali: quòd certis in Casibus licitum sit vitam morti exponere pro salute alterius, Sect. 1. §. 15.*

(l) Exempli loco sit periculum alapæ accipiendæ. *Conf. omninò Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 10.* ibique *Zieglerum, & B. Pufendorf. de J. N. & G. l. c. c. 5. §. 12.* Nec quæ levem injuriam distinguendum cum *B. Pufendorfio de Off. H. & C. cap. 5. §. 8. & 11.* inter statum naturalem & civilem, minimèque ei opinanti, quod ob levem injuriam progressus fieri possit in statu naturali ad eadem usque lædentis, subscribendum; *conf. lib. 2. de Jur. Nat. & Gent. cap. 5. §. 2. 4. 6. 9.* Nam etiam in statu naturali si degas, à veritate non alienum est, quod Deus intendere nequiverit minoris mali tui propulsationem, per proximo majus arcescitum malum. Nec genuinis legis naturalis principiis consonum est illud asseritum, quod contra hostem, licentia grassandi in infinitum hosti competat; cum Deus, à quo omne jus est, utique tantum eam licentiam contra hostem usurpandam

pandam largiatur, quam Collisionis conditio exigit. Licet verò ab injuriis majoribus non semper cautum sit læso, quem in statu naturali vivere deprehendis; supersunt tamen ei, licet injuriam levem passio, sapissimè media, quibus ab insequentibus injuriis sibi cavere potest: præsertim auxilia aliorum, qui lædenti formidabiles sunt extituri, præsidium aliquod contra injurias futuras, læso suppeditare queunt. Quin, si multum concludere licet ex defectu cautionis istius futuræ, quæ aliquando statum naturalem comitatur, non tamen illud est aliud, quàm, quod status naturalis præ civili magna sit imperfectio & infelicitas; non verò, quod ultra, quam Collisionis regulæ permittunt, læso in statu naturali in hostem favere integrum sit. Et omninò repetendum, quod nuda suspitio læsionis, quæ sola, deficiente cautione, adest, ad defensionem violentam licitam reddendam minimè sufficiat.

(m) Consentit nobis Dn. D. Alberti in Comp. Jur. Nat. Part. 2. c. 3. §. 26. cum Augustin. lib. 1. de Lib. Arbitr. c. 5; licet Grotius de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 7. cum Moralists communiter, atque Dn. Pufendorfius de Offic. Hom. & Civ. l. 1. cap. 5. §. 15. nec non de Jur. Nat. & Gent. lib. 2. cap. 5. §. 11. dissentiant. Sanè, utut pudicitia corporalis (nam animi servari illa se potest à vim etiam passa fœmina, quæ castitati aliàs studet,) non levis sit, præsertim apud fœminas, æstimatio; vitæ tamen, cujus reparationem nemo effectui dabit, & quæ fundamentum omnium reliquorum bonorum rectè habetur, ea minimè æquiparanda. Et certè exiguum damnum sentit fœmina per vim stuprata. Ejusdem enim existimatio non multum diminuitur apud homines prudentes & probos, qui vim intercessisse intelligentes, delicta ex intentione prava æstimare non nesciunt, & adeò tantam corporalis, non verò pudicitia veræ, in animo habitantis, jacturam esse factam, probè nòrunt. Nec, si hujusmodi defflorata lauto gaudeat patrimonio, aut pulchritudinem insignem, aliave corporis aut animi bona, hominum animos devincire apta, loco dotis marito afferre possit, spe omni matrimonii destituetur; cum etiam, quod in primis observes, non desint exempla fœminarum, quæ, postquam libentissimè stupratorem admiserant, nihilominus procos invenerunt. Quod suscitare cogatur hosti suo ex propriis visceribus prolem fœmina; cujus pudicitia violento violatur modo; id etiam argumentum pro interficiendo stupratore solidum non existit. Rarius enim prolem ex coactis hujusmodi congressibus nasci, aliis inquirendum ac demonstrandum relinquimus. Et, si nascatur soboles, illa, utpote homo, amanda est, nec in eam conditionem detrudenda, ut ferat Patris sui iniquitatem. Ut etiam Patri, hosti suo, educandam præbeat mater, ipsam nemo adiget; si forte prolis, non minus ex matris substantia, quàm ex stupratoris ortæ, amore ipsa nimis flagret, & ei supersint, unde filii necessitatibus subveniri possit. Si atrocem satis calamitatem putes, matrem ad id adstringere, ut coram se conspiciat prolem, cum ipsius magna injuria natam, (hanc enim torres renovare injuriæ sensum aptam esse, quoties oculis objicitur, fortè existimas;) neutiquam tamen per vitæ alterius privationem, hoc, quidquid est, mis-

miseria genus, cujus cum morte nulla planè analogia, à se aliquis rectè arcet: præsertim, cum per Philætiæ præcepta matrem talismodi obligatam, ad hos inutiles animi cruciatus coërcendos, nemo fir negaturus. Sed odium, quò supratorem profecuturam dicis vim passam, obstare causaberis, quò minus eidem prolem progenerare, aut ex ejus cohabitatione in lucem editam, educare queat. Verùm contra istam rationem omninò monendum, odium omne, quo erga terribissimos etiam inimicos torqueris, prohiberi, cum vitia, non homines odisse teneamur. Porro, quòd leges civiles raptoribus pudicitia pœnam capitalem infligant, id non arguit equalitatem bonorum istorum, Vitæ scilicet atque pudicitia corporalis, sed tantummodò ostendit, quòd ita coërceantur maligni raptorum animi. Namque accuratioribus Jurium Naturalium Scrutatoribus non ignotum, pœnarum quantitatem non ex qualitate damni illati, sed ex intentione majore vel minore voluntatis præviæ, quæ delinquenti fuit, æstimandam esse. [Tendunt scilicet ultimò pœnæ ad securitatem nostram aliorumque; & ad eòdè emendationem delinquentium, (seu ut nocere nolint,) ac deterritionem aliorum, aliquando etiam hanc tantum, viriumque nocendi, quibus ledentes polluere, subtractionem, (ut ita delinquentes nocere amplius nequeant,) pro fine proximo habent; At hic finis proximus utique animum delinquentis maximè respicit.] Nec denique cum quibusdam Moralium Doctoribus Scholasticis, delectationem fœminæ ex congressu cum vi stuprante hauriendam, atque ad eòdè consensum ejus in peccatum metuas. Nam, cum delectatio illa nolenti atque invita fœminæ obrepat, non magis hujus animus consensus in peccatum accusandus est; quàm ille, qui Musicam auri- bus alias gratissimam, cum carmine in sui vituperium effictò, oblatam percipere; vel, qui odorem, nares insigni delectatione afficientem, quem res fragrantissima, ipsi fortè subtracta, de se spargunt, sentire adigitur, pro consentiente in ablationem rei propriæ aut in sui contemptum, haberi potest. Intemeratum utique animum servare potest casta mulier, quam lascivus aliquis corpus contrectat, si perpetuò ejus lasciviam, etiam tùm, cùm vim experitur, aversetur.

(n) Iterum nobis hæc adversantur Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 11. 12. 13. 14. & B. Pufendorf. de J. N. & G. loc. cit. cap. 5. §. 16. 17. 18. item de Offic. Hom. & Civ. loc. cit. cap. 5. §. 16. qui posterior rursus ad status naturalis atque civilis distinctionem refugit, impliciteque distinctionem subnectit, quòd vel fur in judicium deduci possit, vel non. Verum, etiam circumstantiis istis suppositis, quòd nempe in statu naturali sis constitutus, & quòd fur in judicium deduci nequeat, nullam proportionem inter res, facile iterum recuperandas, atque vitam furantis, nunquam reducendam, conspicias. Apparet autem vel ex hac descriptione rerum, (quòd facile recuperari possint,) eam limitationem hæc loci adhibendam esse, quam etiam in ipso spho expressimus: non licere scilicet, ad eadem usque res nostras invadentis probolare, nisi indirectè simul vita nostra per ablationem rerum impetatur. Nam tùm regularum Collisionis à nobis datarum applicationi nihil officere, in aprico est.

(o) Hæc

(o) Hæc ut rectè haurias, observes nonnulla. Scilicet etiam tunc, cum majus proximo malum inferendum aut conciliandum est, quò nos minori malo expedire, aut illud, cum futurum est, impedire valeamus, adesse dicimus eam Collisionem, de qua jam tractamus. Notes enim, quando de Collisione Philantropiæ ac Socialitatis sermo est, vel utrumque hoc præceptum (Philantropiæ & Socialitatis,) generatim accipi, non pro specialibus aliquibus præceptis; vel alterum speciatim, alterum generatim supponi: & posteriori modo nos hic loci de Collisione agere. Inter Socialitatem enim, quatenus hæc speciatim, proximi vitam non ledere jubet, & inter Philantropiam, generatim, pro quibuscunque officiis specialibus suppositam, Collisionem hic statuimus. Hinc nobis utrique largieris, quòd, quando minus nostrum malum, cum majore malo proximi, vita ejus privationem concernente, ita concurrat, ut, hoc depulso, illud amoveri nequeat, & vice versa; tunc adsit vera secundum nostram suppositionem inter Philantropiam & Socialitatem Collisio: licet minore nostro malo ita cum majore proximi concurrente, ut utriusque pellendo vacare possimus, nulla adsit Collisio, (id enim aperte hic in spho ipso notamus.) Exempla vel ex Casibus hic loci recensitis petas: si enim aggressor pudicitie à te aliqua ratione arceri queat, ut ipse non interimatur; aut rebus nostris inhians raptor à nobis aliquò modò depelli queat, ut vita tamen ejus salva maneat, v. g. per sola vulnera non lethalia inflicta &c. tunc omninò nulla adest Collisio talis inter Philantropiam ac Socialitatem, qualem hic querimus; dum Socialitatis neglectum in eo constituimus, ut vita proximo adimatur, conf. in ipso hoc spho post initium verba: Quam ergò non necessarium &c. casusque mox subjunctos, in quibus alterius præcepti neglectum, medium non-necessarium aut incertum, ad observationem alterius præcepti esse, arbitrati sumus. Dicimus: nulla adest Collisio talis, qualem hic querimus; nam casus modò dictos quoque Collisionem inter Philantropiam & Socialitatem (si generaliter utrumque præceptum capiatur,) involvere, & de ea secundum regulas nostras, aliter paululum applicitas, esse statuendum non negamus. Hæc ad intellectum totius hujus sphæri hoc in loco notasse, commodum omninò fuit. Et maluimus ea ipsa huc reservare, licet etiam superius ad initium sphæri hujus, proferri ipsa nihil impedisset, quia usus dictorum jam simul patescit.

(p) Aliquo modo huc spectant, quæ habet Grotius de J. B. & P. loc. cit. cap. 1. §. 9.

(q) Superflua agimus hæc monentes; nam de eo, quid liceat Liberis, tantum nos differere jam oportet, conf. supra §. 4. dicta. Negat autem præceptam esse, licitèque omitti posse illam defensionem affirmat Grotius libro sæpius citato 2. cap. 1. §. 8. atque accedere Grotio hac in parte iterum videtur B. Pufendorfius de J. N. & G. lib. dicto 2. cap. 5. §. 2. præsertim in fine. Nobis autem adstipulatur Dn. D. Alberti in Comp. Jur. Nat. part. 2. citato capite 3. Nitimur nos illa ratione: Cum Deus aliàs præceperit Philantropiam ac Socialitatem, nulla videtur esse ratio evincens, quod in Collisione harum legum (quæ eo casu etiam contingit, quo locus est violentæ defensioni,)

D

indif-

indifferentem vel hujus, vel illius præcepti observationem intenderit, sed potius pari in causa, (ex regulis Collisionis intelligenda,) ad sui curam potiorum, quemlibet obligasse censendus est; præsertim quia sibi quemlibet constituit proximum, & quilibet quoque optime novit, quomodo deinde in Dei honorem secundum leges Naturæ sit exæturus vitam, cujus de altero non æque gnarus est, sicut hæc supra declaravimus §. 6. in fin. Ut taceamus, non rarò in vasum illo esse in statu, ut, si jam occidatur, periculum æternæ damnationis incurrere teneatur; quod utique ut appetat, vel fugiat, Deus homini indifferens non reliquit.

§. VIII. Jam si hæc, quæ diximus, applicentur ad præsentem materiam, omni sine difficultate constabit, (spectato solo moderamine inculpatæ tutelæ, hæcenus exposito,) quod Liberis contra Parentes, injustos eorum vitæ aggressores, cum Parentum morte se defendere liceat; si mors Parentum medium sit necessarium ac certum ad conservationem vitæ Filiorum, [hoc est, si aliter mors Liberorum declinari nequeat, quàm mortem Parentum, certò autem conservanda sit vitæ Filiorum, Parentibus morti datis. (a)] Licitum, id, inquam, est Liberis, nisi Parentes sua morte magnum detrimentum publicæ salutis attracturi sint, quod Parentibus viventibus non foret eventurum. V. g. si Principes sint Parentes, iisque Respublica, Liberis eorum admodum infesta, maximè faveat. Non necessariam autem nostrò in Casu auguramur disquisitionem de comparatione mali, quod Liberos & Parentes manet. Nam velex titulo Dissertationis patet, vitæ Liberorum periculum, morte Parentum pellendum, hic loci supponi: Quandoquidem Parentes, injustos vitæ Liberorum aggressores vocamus, de quibus quarimus: utrum cum eorum morte Liberi suam tueri queant vitam?

(a) Fortè nec dari putas casum, ubi mors Parentum non est certum, medium ad conservationem vitæ Liberorum, quæstione ita formatâ, quemadmodum à nobis factum, de Parentibus Liberorum vitam impetentibus, qui non nisi mortem subeunt, isti liberorum vitæ subveniunt. Sed de existentia ejus ulterius ne dubites. Nam Liberos jam à Parentibus tam graviter vulneratos, aut alia ratione lesos, concipias, ut certus sit ipsorum (Liberorum) interitus. Hic si rerum sit status, utique medium incertissimum ad conservandam Liberorum vitam mors futura est Parentum.

§. IX. Ita ex doctrina de Moderamine inculpatæ tutelæ, decisâ hæc, quam tractamus controversiâ, restat officii Liberorum erga Parentes brevis consideratio, quò pateat, utrum illud aliquam restrictionem, speciatim Liberos attinentem, in iis, quæ alias contra

tra

tra aggressores, vitæ injustos licent, causari aptum sit. *Liberos ergo Parentibus, ceu in laudata sapius Dissertatione expositum est à Præside, (a) non nisi ad obsequium & gratitudinem obstrinxit Divina voluntas, ex rerum natura indaganda. Ad obsequium maxime tenentur, quamdiu ob defectum rationis incommodis suis mederi, commodaque sua promovere ipsi nesciunt: incumbitque isthac obligatio Liberis ob obligationem Parentum. Parentes scilicet, si alii sociales erga Liberos, eosdem educando, non reperiantur, determinatè obstricti sunt ad id officii Liberis præstandum. (b) Hujus verò officii partes cum absque aliquo imperio, aut jure in Liberos, Parentes explere nequeant, illud alicui juri in Liberos necessario junctum est. Cui quidem parentum juri cum non possit non respondere obligatio Liberorum, ad Parentum educationem, præsertim obsequio præstito, admittendam; istam liberorum obligationem adesse non negabis, nec alio fundamento eam niti recte existimaturus es, quam Philantia curâ, Liberis injunctâ, aliis, si ipsi sibi prospicere nequeant, auditis: sicut ex Socialitate parentum obligationem ad educandum, & jus ei annexum in Liberos, fluere necessum est. Ad gratitudinem verò Parentibus ob beneficia multa in educatione percepta, non eo tantum tempore, quo adhuc educationis sunt capaces, sed etiam postea à liberi obligantur. Hæc uti variis modis exhiberi potest: ita ad eam quoque nonnunquam spectat obsequium, quod Parentibus debent Liberi, cum se ipsos regere jam possunt; non confundendum adè cum obsequio, de quo modò dictum. In hisce consistit obligatio Liberorum, quâ Parentibus tenentur ut Parentibus, seu potius ut educantibus. Accedit tamen sapissimè huic obligationi altera, qua Liberi alterutri Parenti, sæpiusque Patri, (c) ut Capiti Familiæ, devincti sunt. Consistit illa etiam potissimum in obsequio, tamdiu præstando, quamdiu filius familiæ paternæ (d) existit membrum, licet educatione, usu rationis præsentè, non amplius egens; (quod obsequium extra Civitatem parenti, tanquam alicui Imperantis Civilis speciem referenti, sæpe exhibendum;) atque in gratitudine, propter beneficia, Liberis præstita tum etiam, cum adhuc familia Paterna continerentur, educatione tamen non indigerent amplius. Hæc verissima est filialis obligatio: quam aliquid peculiare, quod in moderamine inculpatæ tutelæ observari*

mereatur, Liberis non svadere, declaratione latiore non habet o-
pus. Nam, sive obsequium prestare illi adhuc teneantur suis Pa-
rentibus, vel ut educatoribus, vel ut familiae rectoribus; sive tantum
ad gratitudinem iis obstricti vivant: certà nullà urgentur ratione,
ut vitæ suæ conservationem, Parentum vitæ postponant, nisi circum-
stantiæ, hætenus circa moderamen inculpatæ tutela generatim con-
sideratum prolata, illud exigant. Nam, cum ad obsequio Paren-
tes colendos præcipuè ideò teneantur Filii, quod Parentes obligati sint
ad liberos beneficiis in educatione cumulandos, utique tum, cum Pa-
rentes, Liberos vitam injustè aggrediendo, suo officio malè fun-
guntur, & ratio obligationis filialis ad obsequendum Parentibus
competentis, & ipsum obsequium istud cessat. Quod (obsequium)
præterea, hoc supposito casu, quo Parentes nihil jubent, sed vi-
tam Liberos vi quâdam adoriuntur injustâ, nonnisi difficulter
concipi posse videtur. Etiam si enim præceptum parentum tacitum
extorquere ex ipso actu aggressionis annitereris, illud tamen Legi
Divinæ contrariari, adeoque nullius obligationis productricem esse,
vel ex nomine vis injustæ apparet. Eadem dicas de obsequio, quod
Patri, ut capiti Familiae, adhuc præstatur à Filio. Hujus enim fun-
damentum cum sit imperium, quod Pater gerit in familiam, pro-
fectò illud patris imperium, eique respondens filii obsequium ad
detrimentum membri familiae, quod est filius invasus à Patre, ver-
gere nequit; quia tantum ad salutem familiae Patri à Deo con-
cessum. Certe & illud obsequium huic casui si applicetur, diffi-
culter concipitur; quæ repetere, modò enim ea diximus, superfe-
demus. Non tamen inficiamur, extra Civitatem sæpius occasio-
nem offerri filio, qua patri, utpote non rarò cum multorum dam-
no occidendo, parcere, & ab eo mortem pati teneri valet. (e) De-
nique obligationem ad gratitudinem Parenti, sive ut educatori, sive ut
familiae capiti debitam, cum damno proprio stringere non posse,
(cum ea natura sit obligationis ad gratitudinem, generatim spectata,
ut cum damno ipsius ad gratitudinem devincti, satisfieri illi non
debeat,) ex dictis à Clar. Dn. Preside in Dissertat. sæpius adducta
(f) clarum est. Quare, quod denuò inculcare lubet, decisionem
nostri Thematis ex sola doctrina de moderamine inculpatæ tutela,
generatim spectato hauriendam, & regulariter filio, contra Pa-
rentem

rentem aggressorem vitæ ejus injustum, defensionem, cum Parentis etiam morte conjunctam, licere liquidissimum erit.

(a) Sect. 1. §. 1. ubi etiam lit. (a) auctores huc facientes, & de Liberos officio tractantes nominati.

(b) Si enim alii Liberos commoda promotum eant, Parentes ad ea firmanda non teneri, nostra est sententia; quia obligatio hæc, utpote ad beneficia conferenda tendens, tamdiu indeterminata est, quamdiu haud deficiunt eandem expleturi. Nec ex eo, quod Parentes genuerint Liberos, consensum etiam eorum concludas in Liberos educationem, quoque suscipiendam, aliis eam in se suscepturis presentibus. Nam ea non citra causam esse parentum potest opinio, sibi jam Liberos satis devinctos esse, quod occasio vitæ eis extiterint. Consensui autem, quod obiter notamus, superstruere obligationem Parentum ad educandos Liberos, in defectu aliorum idem factorum, inutile nobis viderur; cum jam absque consensu ex nudo socialitatis præcepto ad id officium determinate obligentur; ideoque male ad consensum provocetur, (qui, quoniam sæpe à parentibus abest, aut abesse minimum potest, præsumi nequit, nisi ob obligationem legis antecedentem,) more Juris Romanorum, in quasi-contractibus consensum fingentium; quasi non ipsa obligatio legis, absque consensu ficto, satis jam stringere possit. Facile autem cuivis constare poterit, eandem per omnia esse obligationem Liberos erga alios educantes, aut illos, quorum familie pars Liberi existunt, ac erga Parentes ob educationem &c. iisdem attribuimus.

(c) Propter Legem Divinam Positivam universalem de Imperio Mariti in Uxorem, regulariter quidem Pater Caput est Familie, quia est Caput Uxoris: id tamen nec naturale est, nec perpetuum, stante etiam dicta lege Divina, omnes homines obligante. Nam, cum legem istam propter hominum utilitatem esse, ambigere non liceat, cessat profectò ejus obligatio, si rerum magis perita sit Uxor, quam Maritus, prudentiæ forte omni carens, aut, si imperio in ipsum Maritum civili Conjux gaudeat. De merâ Lege Natura res conventionem potest dirimi, quam tamen ita sese habere necesse est, ut prudentissimo, vel marito, vel Uxori, deferatur illud Imperium.

(d) Hæc familia vel extra Civitatem, vel in Civitate degit. Si extra Civitatem sit, aliquod instar imperii summi civilis, ejus capiti adjudicandum esse, cum B. Pufendorfio de Offic. Hom. & Civ. l. 2. c. 3. §. 7. hic loci censemus. Conf. Præsidis Disputationem citat. §. 11. verbis: sive enim status ille, &c. Illud ergo instar summi imperii non Patri, ut Patri, seu potius ut educanti, sed Patri, ut Capiti Familie, tantummodo adscribendum esse, facillimè liquet.

(e) dicto §. 11. verbis: licet non negare mentem subeat; conf. inferius sphum 13.

(f) eodem §. 11.

§. X. Paucis jam argumenta dissentientium à nostra decisione frangenda; quæ non quidem iis, quæ de moderamine inculpatae tu-

telæ protulimus, attamen obligationi filiali à nobis exposita sunt opposita. Non pauci scilicet, filium regulariter illam obligationem manere, ne Patrem tyrannicè se invadentem cum ipsius internecone repellat, & peccati eum reum fieri, si istam defensionem, cum occisione Parentis conjunctam, suscipiat, credunt. Provocant illi (1) ad honorem Parentibus debitum, qui quoque exhibendus est patientia, Sirac. III. 9. (a) Verùm, ut huic argumento statim satisfaciat, patientiam filiorum non eo usque extendendam, ut mortem etiam subeundam sub sese comprehendat, sed secundum officia Liberorum à nobis declarata exponendam, atque in Collisione Philantropiæ ac Socialitatis, contra Dei voluntatem (si ea Philantropiæ observationem potius intendat,) minimè attendendam esse, rectissimè dicas. Sane respectu quorumcunque hominum patientes nos gerere jubemur; inde tamen malè colligas, quasvis injurias ab inimicis illatas esse perferendas. Contra hos enim, etiam si nondum nostræ vitæ insidias struant, aut vim contra nos extremam parent, durius agere, non tantum licitum, sed & præceptum est nonnunquam, si nempe à Collisione dicta illud exigatur; (b) quòd jam latius exponere nec chartæ angustia admittit, nec ulla urget necessitas, cum de eo cuius, qui benè hausit illa, quæ de hac Collisione superius commentati sumus, abundè constare queat. Supervacua verò hac in ratione proferenda Siracidis est allegatio, quia nihil, nisi quod per Jus Naturæ jam injungitur, ab illo hac in parte discas, nullaque propria ipse gaudeat auctoritate, utpote libri apocryphi Auctor. Ab hac ratione devolvimur (2) ad vinculum naturale inter patrem & filium, nullo casu rumpendum. (c) Verum, cum hoc vinculum ambiguum utique sensum habeat, certè per illud, (si genuinis principiis conformiter hæc loquendi ratio explicetur,) nihil aliud denotari vel concipias, quàm obligationem Liberorum erga Parentes, per Legem Naturæ iis impostam. Sed hanc rumpi neges, si Filii hoc in casu Parentum injuriosæ dextræ resistent, quia Obligatio, quæ Filiis naturalis est, ad mortem à Parentibus tolerandam non extenditur, quod antea demonstratum dedimus. Quod si per istud vinculum naturale intelligatur respectus, quo Liberi, ut geniti, referuntur ad Parentes, tanquam genitores, eum quidem nullò casu rumpi non inviti concedimus: at nec hunc, si in se spectetur, pro morali rectè haberi, ullamque adeò obligationem liberorum ad mortem à Parentibus perpetiendam involvere, putamus;

tamus; nec, si ut obligationis *cujusdam fundamentum* consideretur, eum obligationi, quâ filii Parentibus obstringuntur, occasionem dare, bene defendas. Cum enim obligatio ista filiorum erga Parentes, fundetur non tam in generatione, quam educatione sustentationeque, & ideo Parentes, non ut genitores, sed ut educantes sunt & caput familiae, in qua filius existit, respiciat: hinc dictus respectus non officii Liberorum, sed tantum obligationis ad aliquam gratitudinem, nec ita ingentem, aptus est constitui fundamentum, quæ gratitudo ideo debita, quod occasio vitæ nostræ (quam nobis Parentes non dedere, sed solus Deus, aliquando etiam non intendentibus eandem Parentibus,) extiterint. Quid? quod obligatio ista filialis, etiam si niteretur relatione filiorum, ut progenitorum, ad parentes, ut genitores, quoque, quod ad nauseam usque hætenus inculcatum, hunc causam non comprehendat. Et, quod *ναὶ ἀνθρώπων* urgere liceat, si tam generale esset officium filiorum ad Parentes honorandos tendens, ut nullo casu exceptione quadam restringi possit, omnino nec rectè telum occuparet eriperetve Parenti aggreddenti Natus, cum ad hanc ereptionem reverentia Patri debita prohibere videatur, nec hoc casu vinculum naturale inter Patrem & filium rumpi dici possit. At illud tamen à Filio fieri posse, arbitratur Dn. Philippus Müllerus, (d) exemplo Davidis contortam in se Sauli hastam exeuntis, 1. Sam. XIX, 20. & dormienti adimentis, cap. XVI, 11. 12. Cujus quidem Auctoris (hoc enim inspergere hic permittas,) fluctuantem, qua certiora rerum moralium principia, animum, ostendunt dictis statim annexa; in quibus supplicem deprecationem vel istius resistentiæ à filio in continente exigit. Certè, si legi convenienter filius patri telum eripiendo egit, malè desideratur, ut illam deprecetur resistentiam, cum actuum bonorum deprecationem suscipere nulla lege jubeamur, sed ea tantummodò actus malos concernat.

(a) Utuntur hoc argumento Balduinus in *Casibus Conscientiæ*, lib. 4. c. 1. Casu 14. §. & quicquid sit, & ex eo tùm auctor, qui se C. E. D. literis initialibus appellat; *Theol. Casual. sect. 3. c. 1. quest. 7.* tùm Prücknerus in *Manuali questionum mille illustrium*, centur. 10. quest. 44.

(b) Cum grano enim salis accipienda, & secundum Collisionis regulas explicanda restringendaque sunt ea, quæ de patientia alias eruditissime differit Dn. Thomasius in *der Einleitung zu der Sittenlehre* cap. 5. §. 59. -- 103. ubi potius mala perferre, quam ad duriora progredi suadet.

(c) Ni-

(c) Nituntur hac ratione *Baldwinus, C. E. D. & Prücknerus III. sub (c) citatis*; item *Osiander in Theologia Casualis part. 2. cap. 5. questione: An licitum sit Filio Patrem bannitum interficere? pag. 1279. verbis: tertio ex recta ratione.*

(d) In *Observationibus ad quaestiones mille illustres Prückneri, centur. 10. q. 44.*

§. XI. Non majoris sunt valoris, quæ deinde proferuntur. Scilicet, quòd (3) *praestet perire, quam vitæ datorem perdere; cum alioquin vel pro fratre vita sit ponenda, 1. Job. III, 16.* (a) nihil plane evincere aptum est. Nam *nec Parens vitæ dator existit; (Deus enim nobis vitam concessit, occasionem tantum præbentibus Parentibus, quibus non rarò etiam sobolis ipsius nulla est intentio, ceu modo monitum,) nec, si vitam dedisset, aut Parenti ipsi liceret, eandem pro lubitu Liberis iterum auferre, aut jus esset Liberis, eam pro Parentum arbitrio linquendi, cum Deus ad eam servandam Liberos obliget. Dictum autem 1. Job, III, 16. Collisionis regulis conformi sensu interpretandum esse, deduxit in laudatissima Disputatione Præses; (b) ne ullum enim quidem vestigium arctioris obligationis ad vitam pro alio ponendam, quàm ex lege naturæ demonstratur, sacris in literis reperiri certissimum est. Nec est, ut gratuletur sibi adductus antea Müllerus (c) de excogitata à se exceptione. Scilicet non interesse te injuria et tyrannice invadi; sufficere, te oportere Parentem servare vel presenti tuo exitio, undecunque illud ingruerit, statuit. Nan minime nobis sedet ab injuria, quam Parentes aggressores injus. i inferunt filiis, licentiam Liberis à nobis attributam sese defendendi cum Parentem morte, arcescere; verum potius ab obligatione ad Philantiam & Socialitatem, hoc in casu collisas, eam derivamus, quæ Collisio utique impedit, quò minus obligatio filialis suam vim jam exerere valeat. Ut enim aliqui moderamen inculpatæ tutelæ superstruant injuriæ, quam ab aggressore invasus pati necessum habet, nos tamen illius opinionis asseclæ non sumus, sed, quod modo dictum, ejus requisita tantum ex doctrina de Collisione Philantia & Socialitatis petimus. Unde malitiam Parentum, quocunque etiam modo se habentem, filios ab obligatione sua liberandi virtute non gaudere, lubertissimè fatemur, additis tantum his limitationibus: nisi præceptum aliquod superius, vel Divinum, vel humanum, ledendum foret, Parentum honorem si observares, (id quod contingit, cum Paren-*

tum.

tum jussus Legi divinæ refragatur;) aut si alias magnum Rempublicam mansurum esset damnum, nisi Parentes negligenterentur, [qui v. g. sunt banniti; (d)] aut nisi in Collisionis casibus non Socialitatem erga Parentes exercendam, sed filiorum Philantiam intendat Divinus Imperans: quod ultimum nostrò in casu accidere nemo non perspiciet. Illud autem apertissimè principium petit, quod filium oporteat Parentem servare vel presenti suo exitio, undecunque illud ingruerit. Nam de hoc utique controversiam præ manibus habemus: utrum Philantia filiis negligenda sit propter Parentum vitam, si damnum aliquod filiis ingruerit ex Parentum aggressorum male sano facto? Nos filiorum causæ patrocinaur, & his non tantum in nostro casu, sed & alias, undecunque etiam ipsis ingruerit exitium, (de hoc enim ut aliqua addamus, licet ad præsens institutum nihil facientia, phrasis generalis Müllero usurpata, nos cogit,) ad Philantia exercitium jus, imò obligationem esse, rationibus certis moti affirmamus: Quandoquidem clare ex superioribus inferas, generatim Philantiam Socialitati præferendam, si Liberi salvi esse nequeant, Parentibus servatis, nisi aliud suadeant sapius laudatæ Collisionis regulæ.

(a) Hoc fulcrum est Mülleri citat. loc. observation. ad Prückneri quæstiones, cent. 10. quæst. 44. Conferatur, qui partem hujus rationis habet, Balduinus Casuum Conscientiæ lib. 4. cap. 1. casu 14. §. durissima ergo.

(b) Sect. 1. §. 8. in Dissertatione nempe sæpe dicta, ubi quæstio examinatur: an Liberi extra periculum &c.

(c) loc. sub (a) allegato.

(d) Negant Patrem bannitum occidi posse aliqui nostrates, e. g. Osiander Theologiæ Casual. loc. cit. pag. 1279. ubi tamen dissentientes aliquos JCtos allegat. Conf. eos imprimis in scriptis ad ff. & C. Nos, quando delictum admisit Parens, cui pœna de lege Divina positiva Universali est præstituta, scilicet homicidium, omnino filium ad occidendum Patrem bannitum, si alii id facere nequeant aut negligant, teneri arbitramur. Idem, si ex Patris banniti vita magna Reipublicæ immineat ruina, dicendum putamus, cum filius plurimum salutis morte Patris prospicere debeat. Quando verò Parens eo se polluit crimine, cui tantum lex civilis pœnam imposuit, tum non existimamus, legislatorem hujus pœnæ executionem in Patrem bannitum, filiis mandasse, idque ob reverentiam à filiis aliàs Patribus debitam, ad quam, instinctu veluti naturæ, sapius feruntur Liberi.

§. XII. Minus adhuc (4) nostram altè vulnerat causam illa ratio, quod fugâ filius vim Patris evadere 1. Sam. XIX, 10. & vita vel

E

per

per graviora vulnera conservari queat. (a) Nam, si fugam liberis tutam esse posse demonstrares, supra jam concessimus, nullam adesse Collisionem inter vitam Filii & Parentis conservandam, cum utriusque servanda par sit filius. Ipsa vero (Collisione) deficiente, ille, quem alter adoritur, nec Patrem, nec aliam aggressorem è medio tollere licite potest; moderamen enim inculpatae tutelae generatim spectatum ita laederetur. (b) Sed tutam non semper invenies viam elabendi, aggressoris Patris irâ faviente. (Unde etiam, quod obiter addimus, melius Prücknero, qui generatim hanc rationem, quasi omni casu integra filio superesset fuga, protulerat, Dn. Philippus Müllerus (c) de aliquo saltem casu istam de effugio rationem accipit: tanto magis enim Patris vitæ parcendum esse dicit, si detur effugium, innuens scilicet eo ipso, non semper dari posse talismodi effugium.) Si fugæ autem securitas desit, certè nec filio, vim Patris truculenti fugiendo evadendi copia est, adeoque tum omninò contra Patrem aggressorem, concedenda ipsi est violenta sui, etiam cum Patris nece, defensio. Gravia autem vulnera quod concernit, (quæ quandoque vitæ filiorum servandæ conducere censuit, & idè Prückneri effugio, sed malè, junxit Müllerus,) illa etiam pro medio incertissimo ad vitam filiorum conservandam tendente, habenda, cum ad mensuram non infligantur. Quare filiis, cum ipsi vulneribus toleratis sui conservationem sibi polliceri nequeant, & adè hinc nobis supposita inter Philantiam & socialitatem verè adsit Collisione, cum morte patris ipsos aggredientis, utique sese rectissime tuentur, vulneraque ea declinant. Non melius sentias (5.) de argumento ab exemplo Davidis petito, qui nec socerum suum Saulem, licet valuerit, interficere nunquam præsumsit, 1. Sam. XXIV. 7. XXVI. 11. (d.) Nam, præterquam quod de Patre naturali, non socero, præsens, quam tractamus, concepta sit questio, nec argumentatio, quæ à minori ad majus hic institui videtur, semper rectè sese habeat, si à socero à Patrem inferre velis; sane dissimillimum nostro Themati exemplum est Davidis, quippe qui nondum in eum Collisionis casum conjectus erat, ut aggressorem suæ vitæ presentem experiretur Saulem. Regi ergo isti alia suppetebant media, quibus adhibitis, furorem Saulis effugere potuit, & idcirco ad mortem usque inimici progredi ipsi integrum non erat, nisi regulas communes antea de moderamine

mine inculpatae tutelae inculcatas, imprudenti delicto transilire secum constituisset. Imò Saulem Regem Davidis fuisse, quis est, qui ignoret? Nos verò de Patre, etiam non-Rege, questionem movemus; in- simul tamen non inviti in eam concedentes sententiam, quod sapi- us ob lesionem boni publici per mortem principis certius meruendam, vita soceri ac Patris Regis, praeponenda sit vitae invasi propria. (e.)

(a) Vid. Prücknerum questione citata 44. & ibi Müllerum.

(b.) Et, si alius praeter fugam modus evadendi periculum filio relictus sit, scilicet si istius avertere lachrymasque aut preces tuto fundere queat: omit- tenda est defensio violenta, mortem patris secum trahens, quia nondum adest Collisio; conf. Dn. Mauritium Dissertat. de vita defensionis favore, s. 12. p. m. 905. Verbis: Alii, si filius, ubi Kremberg. de necess. defens. huc fa- ciens allegatur.

(c.) loc. cit. sub (a) adhuc sphum.

(d) Vid. Prücknerum loc. cit. & Balduinum loc. cit. lib. 4. cap. 1. case 14. s. durissima ergò.

(e) conf. dicta s. 9. in fin. nec non sequentem s. 13.

§. XIII. Levioris adhuc momenti sunt rationes residuae. Ar- guunt enim Adversarii, quod (6.) honor Parentibus exhibendus in quarto Praecepto non leviter injunctus sit, Exod. XX. 12. (a) Verum & nobis ea arridet sententia, quod non leviter injunxerit Parentum honorem Lex Naturae, quam quartum praecipuum tantum repetiit, (sicuti aliàs Decalogum maximam partem praecipua naturalia consti- tuunt;) At verò Legem Naturae, adeoque quartum Praeceptum, hoc in casu suam vim obligandi minime exerere, superius evictum dedi- mus. (b) Nec opineris, per quartum Decalogi Praeceptum obliga- tionem Liberorum erga Parentes naturam cognitam, auctam fuisse. Nam asseverare non veremur, per totam Scripturam officiorum fi- lialium ullo modo immutatorum ne unicum quidem deprehendi vestigium: Cujus rei vel id certissimum est indicium, quod neque Leges alicujus Positivae Universalis, de officiis liberorum aliqua di- sponentis, deficiant, omniaque, quae in sacris Literis de isto officiorum genere continentur, exactissimè Legum Naturalium Obligationi re- spondeant. Malè autem lautissimam promissionem isti Decalogi man- dato accedentem, praesumptionem alicujus peculiaris, & à naturali abeuntis dispositionis, quae liberos attineat, parere asseras. Sic- ut enim naturaliter etiam probe cognoscimus, Deum omnes & singulas naturales leges non tantum poenis, sed & praemiis sancivisse:

ita nihil ex ista promissa benedictionis, quæ in quarto præcepto conspicitur, additione concludere fas est, quàm Deum singulari profusus desiderio appetiisse honorem Parentum, ideoque expressè, (quod alias circa Leges facere omiserat,) declarasse, benedictionum ingenrem cumulum hujus Præcepti observationem comitaturum; Sed Benedictionum tamen illarum, quæ obsequii ut aliis legibus, ita etiam huic præstiti, præmia non incerta futura fuissent, quamvis citra Dei expressam fuisset declarationem. Et unica, quæ ex lumine naturæ non cognoscenda, est declaratio in præcepto quarto facta certi generis præmii, filios morigeros secuturi: cognoscere enim illud determinatum præmii, ob legem hanc observatam eventuri, genus ex naturali lumine certò non poteris. Namque, licet non possit non omnis bonorum affluentia illius exhilarare animum, qui Parentum dicto audiens est, quamdiu seipsum moderari ignorat; (quia, cum Parentum cura ea sit, ut prolis felicitati benè prospiciant, aptiorem etiam eam, ad sua commoda postea melius curanda reddunt.) Tamen insuper hæc IVti præcepti promissio, præsertim si spectes longævitatem, singulare præmium continet, quod determinato in hujus legis observatores redundaturum esse, citra revelationem Dei peculiarem non cognoscas. Minimè gentium autem ipsam partem dispositivam præcepti IVti, rationi sibi relicta esse imperviam, vel ex modò dictis, vel ulla alia ex ratione augureris; cum à determinatione præmii, citra revelationem certò non cognoscenda, ad dispositionem ipsam, ex lumine naturæ non indagandam, infirmissima nec statatur Consequentia. Quamobrem, cum quartum Præceptum qua partem directivam sit penitus naturale, non est, ut filius, Parenti Invasori vi restitutus, legis Divinæ violationem peccaminosam timeat. Sed nec est, ut scrupulum sibi moveat (7) è Lege Exod. XXI. 15. latissimè, ceu aliqui volunt, accipienda, qua mors dictatur illi, qui percusserit Patrem suum, aut Matrem. Frustra omnino filius, hac lege eò magis omnem quocunque in casu contingentem Parentum interfectionem vetari, ipsique (interfectioni) grave supplicium præstitui credet, quò majorem & reverentiæ læsionem & damni illationem homicidium importat, ac nuda parentum percussio. (c) Firmissimum enim assensum promittimus nobis à doctioribus, si statuamus, quod Lex ista, cum pœnam capitalem

lem filio infligendam concernat, non pro universali, omnes homines strin-
gente, sed tantum pro particulari forensi, solos Judæos attinente, agno-
sci mereatur. Cujus rei sanè in promptu causa est; deficiunt nempe in ea
signa Legis Positivæ Divinæ Universalis, latio ejusdem ante Moſen, repe-
titio in Novo Testamento facta, ac declaratio sacrarum pandectarum,
quod ob eam neglectam, pœnamque capitalem percussoribus Parentum
non inflictam, Numen Divinum gentes de terra ejecerit. Quare omnino
particularis positiva hæc lex est; inter naturalia enim jura istius partem
vindicativam neminem esse relaturum, persuasi sumus, qui nullam spe-
cialis pœne determinationem ex Lumine Naturæ demonstrabilem, rectissi-
mè arbitratur. Quin, si habeas hanc legem pœnalem pro Univerſa-
li, quid tandem tamen contra nos per eandem obtinebunt adversanti
opinionem addicti? Nec ipsi recte Judæi, quorum gentem dubio procul hæc
Lex obstrinxit, jure vitam adimere valere filiis, qui Parentes aggres-
sores percusserunt, imò vitam exuerunt. Insignem ob pœna gravitatem,
hæc sanctio violationem obligationis erga Parentes atrocem præsuppo-
nit; quibus, quoniam filius nostro in casu de Jure Naturæ, ac adeò quoque
de Lege divinitus in Scripturis repetita, non obligatus est, (cei supra de-
monstratum;) omninò is violasse Dei jussum, & pœnæ reum illum se red-
didisse, parentes aggressores injustos cædendo, nemo, cui rerum mora-
lium exactior est notitia, asseruerit. Quid? quod etiam sua sponte ex
supra declaratis principiis, Filii, ad defensionis istius violentæ erga Pa-
rentes susceptionem, obligatio fluat, (licet, cum in præſenti tantum occu-
pemur circa probationem ejus, quod hæc defensio sit licita, obligatio-
nem eam supra ostendere prætermiserimus, nec jam de ipsa latius agen-
dum sit,) Deique justissimæ voluntati non repugnare non possit pœna impo-
sitio, ad vindicandam observationem illius, ad quod aliquem obligavit,
facta. Quomodo ergo filio ob aggressorem parentem morti datum, lege
Mosaica Divinus Imperans supplicium ultimum præstituiſſet? Verùm forte
(8) refugium tutissimum invenient contrariæ sententiæ Patroni in pote-
ſtate Patris, quâ ut caput familiae eminet. Ut enim, autumant illi, (d)
Principi aut Regi non licet resistere ob Majestatis supericritatem, ita quoque
filio non fas est oblectari Patri, etsi prætendatur defensio. Sed huic ra-
tioni si pondus quoddam largireris, non peccaturus tamen Filius esset, qui
Matrem vim illaturam cum morte ipsius repelleret; Sequioris enim sexus
parens Familiæ caput sæpiſſime non est, & communiter, quod unquam
id esse possit, negatur, (licet in hoc, ceu dicta manifestum reddunt, non
simpliciter nos consentientes habeas.) Imo comparatio Patris, ut Caput

familiae audit, & Regis, procedere, nisi supposito statu Naturali, nequit. In Civitatibus verò Pater utique magno discrimine à Rege distat, ejusque potestas in Familiam, tum Filios, tum servos, maximopere, praesertim quoad jus vitae & Necis, restricta est. (e) Quare nec de obligatione Liberos erga Parentes eadem statuas, quae de obligatione subditorum erga Regem; si primario quaestio formetur de *Liberis, quorum vitam Parentes, sive intra, sive extra Civitatem constituti, in praesens discrimen adducunt*; quae ipsa praesentis est disquisitionis. Accedit hisce, quod non solet Princeps homicidii Crimen mortis poena luere, cum tamen Divina lex delictum istud capitaliter punire jubens, non possit non etiam erga Patrem, qui Caput existit Familiae in Civitate viventis, (f) observari. Unde iterum perspicuum cuivis erit, male à Regis persona ad Patrem praesenti in themate argumentum duci. Et ne semper quidem adversus Regem aut Principem, ea defensione uti prohiberis, quae ejus mortem secum trahere solet. Sistas enim mentis tuae oculis Reipublicae potius noxium, quam utilem omnibusq; invisum Regem, qui atrocissimus Tyrannus, si innocentis adoriatur vitam, ab hoc citra proprium & aliorum detrimentum occidi valet; imò, cum Reipublicae saluti in istius persona non sit locus, ab quam solem Principi obligatur subditus, non illicito modo vitae usus ipsi eripitur. Omnino ergo, si à Principis exemplo ad Patrem, tanquam Caput Familiae, rectè argumentantur à nostra abeuntes sententia, etiam tum Parenti lucis usuram rectè filius auferet, cum utilitas communis patris saluti non est annexa. (g) Non tamen eorum repetitio hic loci negligenda, quorum supra jam meminimus, (h) quod saepius contingere possibile sit, ut Patrem familias aggressorem, extra Civitatem viventem, Filius prohibeatur occidere, etiamsi ipse filius, patre servato, mortem cogatur subire; quia Patris interitus, totius familiae ruinam aut detrimentum non exiguum, haut raro productura est, quorum familiae incommodorum, filio extincto, metus non nisi vanus saepe esse solet. In Civitatibus autem spem promissae ex patris vita utilitatis, aut mali à Republica, Patre servato, avertendi fiduciam, vel per dispositionem precepti, homicidae sanguinem ultimo effundere jubentis supplicio, vel per fugam à Patre gladii vindicis metu suscipiendam, necessario interverti, & adeò nullam causam urgere Filium, ut Patris suae praeferat vitam, ex dictis sat liquidum erit.

(a) Vide Osiantrum in Theologia Casuali, loc. cit. pag. 1279. verbis: *negativa deduci potest, & pag. 1280. verbis: nec leviser injunctus est.*

(b) Conf. Ericum Mauritium in Dissertat. citata de Vitae Defensionis Favore, s. 12. verbis: *rationem adducunt*, pag. 906. ubi quae habentur, forte sunt ex Kremberg. Per-

Pertinent etiam huc illa, quæ deinde ille subjungit: *Quid? quod*, inquit, *nec præsumatur Pater, qui filium non diligit?* (in eandem sententiam quoque annexo textu *Juris Canonici*;) scilicet *vinculum morale*, in parente Filii vitam impetente, aut alias gravi eum citra causam odio prosequente, *non naturalis respectus generationis* inter patrem & filium, cessat; *conf. modo de obligatione Liberorum late dicta, præsertim §. 10.* quò etiam verba ista *Mauritii* referri valent.

(c) Vide *Osiandrum*, *loc. cit. pag. 1280.* verbis: *latissimè enim.*

(d) Sunt hæc ex *Osiandro loc. cit. p. 1280.* verbis: *nec denique aliter se habet.*

(e) *Conf. B. Pufendorf. de Offic. Hom. & Civ. l. 2. c. 3. §. 7. & supra §. 2. lib. (c) à nobis notata.*

(f) *Conf. in hacce Dissertatione supra §. 7. in fin. dicta.*

(g) Similem casum de filio, parentem principem, qui in periculo constitutus morte filii servari potest, perire sinente, in dicta *Dissertatione II da pro Loco* formavit, *Præses sect. 2. §. 4.*

(h) *Conf. supra textum in §. 9. circa fin. verbis: non id tamen inficiamur & lit. (e) ibidem monita.*

§. XIV. Sed fiduciam suam etiam (9) nonnullos in *testimoniis humanis* ponere videas. Ita *Osiandro (a) Hieronymi Epistola de honorandis Parentibus* allegatur. Verùm non delectamur pugna auctoritates fundamenti loco agnoscente: alias enim multorum, quæ in medium proferuntur, aliquam aliam interpretationem, ac quæ adversariis placet, producere facile foret. Speciminis loco solum examini subjicias *Osiandro* adductum *Hieronymum*. Hic, *Oculorum vestrorum, inquit, tenete sententiam, quam Dominus promisit ingratis; meretur enim Cacitatis sua subire supplicium, qui Parentum vultus vel torvo visu despexerit, & elatis oculis læserit pietatem.* Quibus verbis certè non aliud seria admonitione præcipit, quam quod *lex naturalis de honorandis Parentibus* quemlibet jamjam jubet. Non ergò, cum *generatim* id antiquæ Ecclesiæ decus *officium filiorum* referat, *illud etiam præsertim nostro ir casu* obrinere docet. Profecto ab eodem mutuo nos petere nihil vetat istam adhortationem, licet cessantem hac in materia obligationem filialem defendamus. Et, quoniam in *juris Naturalis Controversiis* non malè facit, qui *ICTorum, Jus humanum profertentium, adit Scholas*, (utut eorum testimonia de *jure naturali* omni exceptione majora minimè constituamus,) sanè, nisi auctoritatum non magna nobis vis videretur, auctoritatibus, quæ contra nos in aciem producantur, non citra causam opponere possemus *ICTos, Romanarum Legum & Conditores & Interpretes*. Oculo enim accuratiore inspicias *l. 35. ff. de Relig. & sumt. Funer. in quâ monetur nec lugendum esse, quæ ad patriam delendam, & Parentes & NB. liberos interficiendos venerit; quem si NB. filius Patrem aut Pater filium occidisset, sine scelere, etiam præmio afficiendum, omnes constituisse.* (b) Textus hic omninò *alternativum* sensum admittit, hoc modo, *sive ad Patriam delendam, sive ad Parentes, sive ad Liberos interficiendos venerit*, (non enim nisi rarissimè deletio Patriæ, interfecioni Parentum liberorumque conjungitur,) ut adeò noster apertè in eo lateat casus. Præterea *ICTos communi ore à pæna Legis Pompeje eum absolvere, qui Patrem hostem interficit.* (c.) nec *Dupondios* fugit; quo ipso non esse reum delicti filium patris occiforem, tacitè fatentur; (licet aliàs nobiscum pauci expressè faciant.) Et laudat *Kremberg. de Necessar. Defens. Illustris Mauritius*, (d) quod verbis expressè calculum nobis adjiciat; utut etiam ipse *Mauritius, missa juris questione, pietati magis convenire putet, si mortem potius patiatur filius, (e) quàm Patrem aggressorem interimat.* Inter *Scholasticos non ineruditum Lessius*

sunt, inprimis nobis adstipulari, jam alii, à quibus verba ejus adducta, notaverunt. (F)

(a) Vid. *Osiandrum loc. cit. pag. 1279.* Extat illa epistola Hieronymi Tom. IV. Licet autem ibidem *Osiander* non speciatim tractet de nostra quæstione, sed de illa: *an licitum sit Filio Patrem bannitum occidere?* rationes tamen eadem utriusque quæstionis decidenda reperiuntur; sicut etiam quæstionem nostram ille subne-
dit dictæ de Patre bannito quæstioni, ac ex iisdem rationibus nostratis resolutionem deducit, ex qua istius præmissæ derivaverat decisionem. Unde & nos hætenus in præcedentibus, quod hic commodè monemus, argumenta, quæ in ista quæstione definienda adhibentur, ad præsentem nostram applicuimus. Conf. etiam §. 11. lit. (d). *Ciceronis & Bodini* testimonia huc facientia, habet *Mauritius* in dicta *Dissertatione de Vit. Defens. favor. §. 12. verbis: Cicero in Orat.*

(b) Conf. *Osiandrum l. c. p. 1279. verbis: quia mox ac pater & c. & Mauritium Dissertat. de vitæ defens. favor. §. 12. verbis: Nec Patrem, sed hostem & c.*

(c) Vid. *Dres ad tit. ff. de Leg. Pompej. de Parricid. v. g. Zæsum num. 4. Coll. Juridicum Argentorat. §. 3. (ubi & Cicero & Arniseus huc facientes laudantur,)* it *Lauterbach. post initium.* Pertinent huc etiam illi, qui à Filio Patrem bannitum occidi permittunt, v. g. *Bartolus, Marsilius, Angelus & c.* quos laudat *Osiander loc. cit. p. 1279.* (licet etiam ibidem dissentientes *Julium Clarum, Claudium, Albericum, Cæpollam, Fagundum* alleget,) qui deinde sequente p. 1280. *Cobarrubiam, Fillium & alios* nominat, tanquam in hac ipsa nostra quæstione nobiscum sentientes.

(d) *Citat. Dissertat. de Vitæ Defensionis Favore, §. 12. verbis: alii, si Filius & c.*

(e) Sunt hæc verba ex *Mauritio loc. modò cit. sub (d.)*

(f) Scilicet *Balduinus l. c. l. 4. c. 1. casu 14. §. respondeo sunt, & nisi fallor, ex eo, C. E. D. in Theol. Casuali, §. 3. c. 1. q. 7.* Est autem *Lessii* loc. 9. libr. 2. de *Jure & Justitia, c. 9. dub. 8.*

§. XV. Ita ergo Thematis præsentis tractationi felicem imponimus Colophonem. De cætero memores esse jubet quosvis Filios *Lex severissima de officio Parentibus præstando, atrocissimi delicti, (a) quod Parentes non-hostes interficiendo patrat.* Quod sicut merito asperrimam pœnam in *Legibus Romanorum statutam*, in se provocavit: (b) ita eò magis Deo omnibusque piis detestabile habetur, quod illò admisso, *Parentes, maximi benefactores*, non tantum beneficiis vacui relinquuntur, sed & *honorum omnium fundamento, vita, exuuntur.* Patri autem æterno pro concessis hoc etiam in labore viribus immortales solvimus grates.

(a) Describit hoc tanquam asperrimum *Imperator in §. 6. Inst. de publ. Jud. conf. ibidem Commentatores*, nec non mox sub (b) citandos *§. 1. ad ff. & Cod. primario Collegium Jurid. Argentorat. ad tit. ff. de leg. Pompej. de Parricid. §. 1.*

(b) Vid. hujus Pœnæ delineationem in dicto §. 6. *Institut. de P. 7. & in l. unic. C. de his, qui Parent. vel Liber. occiderunt; nec non in Interpretibus ad utrumque locum, v. g. Vinnio, Schneidewino, Hubero ad Inst. Addas interpretes ad ff. tit. de leg. Pompej. Parricid. inprimis Zæsum, Collegium Juridicum Argentoratense, Lauterbachium, Huberum & c. Utrum autem illa pœna legis Romanæ hodieque observetur? de eo etiam quidam ex auctoribus citatis tractant; quam in rem conf. *Constitut. Criminal. Caroli V. art. 131.* (ubi suadetur, ut propter metum desperationis, pœna similis in aliam commutetur) & *Coll. Jur. Arg. cit. loc. §. 4. nec non de Saxonica Observatione, juxta alios quamplures, Strubium Juris-prudent. Romano-Germ. Forens. l. 3. tit. 28. §. 38.**

S. D. G.

Erratum extantius, plag. B. 3. col. 2. lin. 4. legas: illatio à decisione de genere ad decisionem de specie.

ULB Halle

3


005 309 069



SB

V877







13578.

Mo 96, 7
37

Q. D. B. V.

QVÆSTIO MORALIS:
AN LIBERIS CONTRA
PARENTES, INJUSTOS VITÆ
EORUM AGGRESSORES, CUM
PARENTUM MORTE SE
DEFENDERE LICEAT?

CONTRA

aliquos

RECENTIORES CASUUM SCRIPTORES,
*Divina annuente Gratia, & benevolo Inclytæ
Facultatis Philosophicæ Lipsiensis Consensu,*

Anno M DC XCVI. die 23. Sept.

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS AUGUSTI OLEARII,

Hal. Sax.

Placido Philosophorum Examini
proposita

Ab

AUGUSTO *Stiffer* / Obsfeld. Sax.

S. Theol. Stud.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,
Liceis FLEISCHERIANIS.

37

